352.038
F33a

UNIVERSITY OF ILLINOIS
LIBRARY

Class	Book	Volume
352.038	F33a	

Dittenberger Library 1907
[redacted]

Ap 08-5M

Herrn Prof Dr Dittenberger ehrerbietigst der Verf

ANALECTA EPIGRAPHICA

AD HISTORIAM

SYNOECISMORVM ET SYMPOLITIARVM

joining in one community — uniting into one people

GRAECORVM.

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORVM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

WILHELMVS FELDMANN.

ARGENTORATI

CVRANTE CAROLO I. TRVEBNER.

1885.

UNIVERSITY OF ILLINOIS URBANA

352.038
F33a

Darmstadtii typis G. Otto.

RVDOLPHO SCHOELL

P. L. M.

135776

Digitized by the Internet Archive
in 2016 with funding from
University of Illinois Urbana-Champaign Alternates

https://archive.org/details/analectaepigraph00feld

Acta publica Graeca ad ineundos synoecismos et sympolitias pertinentia quae in lapidibus seruata sunt, cum interpretari mihi proposuerim, operae pretium fore existimo, antequam ad titulos ipsos aggrediar, breuiter exponere, qua in re maxime positam esse iudicem synoecismi et sympolitiae uim. Qua de re plura disseruit summa eruditione et diligentia Aemilius Kuhn[1]; quamquam sunt quae ab hoc uiro doctissimo tam rectius quam clarius exposita esse uellem.

Nam cum incipiat fere historia Graeca a satis magno numero ciuitatium inter se prorsus separatarum, eo autem tempore, quo Graecia a Romanis deuicta est, in terra continenti Europae non plus quam nouem res publicae liberae Graecae inueniantur, haud facile diligenter de hac re quaerentes fugiet, nulla alia re tantam rerum immutationem effectam esse quam synoecismis et sympolitiis inter singulas ciuitates constitutis. Quodsi quis altius temporum memoriam persequatur et unde ortae sint illae quae in ipsis historiae Graecae originibus nobis occurrunt ciuitates requirat, etiam harum maximam partem synoecismis conditas esse inueniet.

Antiquissimis enim temporibus Graecos neque in urbibus habitasse neque in ciuitates contributos fuisse, inter omnes fere homines doctos iam constat. Sed uicatim habitabant, nullis fere nisi religionis uinculis coniuncti. Postea cum gentes in curias et tribus se coniunxissent, pagatim neque

---

[1] Über die Entstehung der Städte der Alten. Lipsiae 1878. Cf. etiam W. Vischer, Über die Bildung von Staaten und Bünden. Scr. min. I 308–381. K. F. Hermann, De syntelia in iure Graecorum publico. Ind. schol. Gotting. 1853. Fustel de Coulanges, La cité antique. livre II. III.

secius in uicis maxime uiuebant. Quae rerum condicio cum neque humaniori uitae cultui apta neque ad defendendos hostes idonea esset, in plerisque Graeciae partibus singulorum pagorum tribus in unam rem publicam coniungi atque intra moenia communia maximam partem sedes conferre coeperunt. Quam rem synoecismum ueteres dicere solebant. Itaque ciuitates simul ortae et urbes conditae sunt. Quae cum in arcibus et circa arces quibus antea non nisi belli causa homines usi erant, et quas πόλεων nomine appellabant, plerumque sitae essent, πόλεις i. e. arces et ciuitates et urbes dictae sunt. Atque harum plerasque admodum paruas fuisse inde colligas, quod in una terra Attica duodecim ciuitates fuisse dicuntur.

Neque in hoc loco res perpetuo constiterunt. Immo paruis ciuitatibus in maiores coniunctis alterum synoecismorum genus exstitit, de quibus quamuis obscura pleraque, aliqua tamen uestigia in temporum illorum remotiorum memoria deprehendimus. In quibus illustrissimum illud Thucydidis testimonium est quod de Athenarum synoecismo nobis reliquit (II 15), neque uero praetermittendum quod Herodotus (I 170) Thalem refert quondam Ionibus consilium dedisse, ut et ipsi in unam ciuitatem conuenirent, praesertim cum ex hoc loco efficiamus, augendi praesidii causa ad hostes defendendos eiusmodi synoecismis non minus quam eis quos supra commemoraui, imprimis homines usos esse [1].

Quibus e testimoniis luculenter apparet, non tam in ciuibus unum in locum deducendis huius modi synoecismi uim contineri, quam in ciuitatibus coniungendis, uel potius noua ciuitate condenda, ita ut ei qui complurium ciuitatium antea ciues fuerant, omnes iam unius ciuitatis ciues efficerentur: omnibus autem ciuitatium pristinarum magistratibus et institutis quae ad res publicas pertinebant, sublatis, horum potestates ad magistratus et senatum ciuitatis iam coniunctae peruenirent: quae uero antea ciuitates erant, eae tribuum, pagorum, uicorum loco essent, quos φυλῶν, δήμων, κωμῶν nominibus Graeci appellabant.

---

[1] Plura exempla collecta inuenies in libris quos supra citaui.

Hoc modo postea Rhodus (a. Chr. 408), Megalopolis (a. Chr. 369), aliae conditae sunt. — Saepius autem non ultro, pacto inter ciuitates liberas conuento, sed ui uel iussu praepotentis alicuius regis uel dynastae synoecismi ciuitatium fiebant. Neque mirabimur uictores regesue illos plerumque satis non habuisse ciuitates duas uel plures in unam coniungere. Neque enim firme neque diu tales synoecismi ualere potuissent, nisi ciues noui in urbem ipsam eorum quibuscum consociandi essent, deducerentur. Atque Romanos saepius ad augendas suas res hoc synoecismi modo usos esse constat[1]. Similiter Argiui paullo post bellum Persicum socios quosdam ipsorum dicto non audientes oppidis eorum destructis in suam urbem deduxerunt[2]. Saepissime autem hoc a Macedonum regibus factum est, scilicet a Philippo (qui fortasse tyrannorum Syracusiorum exemplum in ea re secutus est), deinde maxime ab Alexandro eiusque successoribus, imprimis in Asia minore, qua de re infra nonnulla adferendi locus erit. Illis enim temporibus uincula ipsa (ut ita dicam) quibus ciuitates singulae circumscribebantur et aliae ab aliis distinebantur, quodammodo solui coepta erant, ut iam non adeo insolitum uideretur ciuitatis ius inter urbes Graecas inuicem communicari.

Sed erant Graeciae partes in quibus etiam quinto a. Chr. saeculo aut nullae fere aut paucissimae urbes essent. Pagatim enim et uicatim, ut supra dixi, ei homines habitare pergebant, ita tamen ut paullatim certiora inter singulos illos uicos ac pagos uincula existerent, deinde uel commune ius ciuitatis et communes leges inter eos constituerentur. Quam coniunctionis formam *συμπολιτείαν* Graeci dicebant.

Denique inter ciuitates ipsas quasdam similes coniunctiones institutae sunt quae eodem nomine appellabantur.

In quibus eae quas *ἐθνικὰς συμπολιτείας* ueteres nominabant, quippe quae uniuersarum gentium ciuitates uel uicos amplecterentur, omnium illustrissimae et notissimae sunt, imprimis Achaeorum et Aetolorum sympolitiae. De quibus

[1] Cf. e. g. Dionys. Hal. AR. 3,29.

[2] Cf. Kuhn l. c. p. 198 sqq. cum locis ibi citatis.

cum in hoc libello quaestionem instituere (praeter ea quae pertinent ad titulos ipsos quos pertractare mihi proposui) locus non sit, ad Freemani librum doctissime conscriptum (History of Federal Government, I. History of Greek Federations) legentes relego.

Discernendae autem sunt ab hoc genere eae sympolitiae, synoecismo plus minusue similiores, quibus ciuitates duae in unam laxiore modo coniungebantur, quo modo Corinthum anno a. Chr. 393 ui coactam in Argiuorum ciuitatem concessisse constat. Commune autem utriusque generis hoc est, quod sympolitia efficitur ciuitatis et legum communione. Qua re Xenophon (H. G. V 2,12 et 14) haec apte opponit: *νόμοις τοῖς αὐτοῖς χρῆσθαι καὶ συμπολιτεύειν — τοῖς πατρίοις νόμοις χρῆσθαι καὶ αὐτοπολῖται εἶναι*; atque Polybius (II 37,10) ubi sympolitiae Achaeorum condiciones breuiter adumbrat, imprimis hoc praedicat: *μὴ μόνον συμμαχικὴν καὶ φιλικὴν κοινωνίαν γεγονέναι πραγμάτων περὶ αὐτούς, ἀλλὰ καὶ νόμοις χρῆσθαι τοῖς αὐτοῖς.*

Ciuitatis autem et legum communio duobus modis condi potest: aut enim ciuitatium earum quae sympolitiam ineunt, utraque integra permanet et separata, ita tamen ut praeter utriusque ius ciuitatis et leges commune ius ciuitatis sympoliticum et communes leges sympoliticae instituantur; id quod in Aetolia et Achaia factum est, ubi qui ciuis Corinthius erat, non erat ciuis Sicyonius, utrique tamen ciues Achaici, neque leges Corinthiorum Megalopolitas tenebant neque inuicem, utrosque tamen leges sympolitiae Achaicae; — aut altera ciuitas earum quae sympolitia coniunguntur, tota in alteram concedit, id quod Smyrnae, Meliteae, Stiri factum est. Atque illud magis ethnicarum, hoc earum sympolitiarum proprium fuisse uidetur quae e duobus uel paucis ciuitatibus constituerentur.

Denique si quis quaerat, quid intersit inter synoecismum et sympolitiam, de ea re, quamquam multum abest ut omnes eiusdem generis coniunctiones ciuitatium eisdem condicionibus factae sint, hoc in uniuersum dici potest, synoecismo e ciuitatibus uel uicis constitui nouam ciuitatem ita, ut iam omnes res publicae communis iuris sint: sympolitia coniungi

ciuitates uel uicos ita ut res externae ad potestatem magistratuum, senatus, comitiorum communium pertineant, cum in rebus domesticis ciuitates ethnicarum sympolitiarum fere sui iuris sint, aliarum ciuitates uel uici sympolitici interdum iura quaedam maiora reseruata habeant.

Haec praemittere placuit, cum totam de synoecismo et sympolitia quaestionem absoluere ab hoc libello alienum sit. Immo laterculos aliquos adtulisse ad aedes exstruendas hoc loco satis habebo: quarum cum fundamentum in inscriptionibus positum sit, ab his uidetur proficiscendum esse. Qua re titulorum qui huc pertinent, eos qui grauioris momenti sint, singulos examinare mihi proposui, ut omnium primum quae leges in instituendo uno quoque synoecismo uel sympolitia datae sint, uerba accuratius interpretando statuam.

Qua in re si quid hoc libello profectum esse iudices, Rudolfo Schoellio maxime id deberi scias: cui uiro et studiorum meorum beneuolo fautori et huius opusculi benigno adiutori non possum quin hoc loco gratias singulares agam.

I. DE SYNOECISMO TEIORUM ET LEBEDIORUM.

Binas litteras Antigoni regis Asiae ad ciuitatem Teiam datas, quibus constituitur, quae rationes in transducendis Lebediis Teum in urbem ineundae sint, cippo marmoreo inscriptas Lebasius inuenit in sepulcreto Turcico oppidi Sevrihissar prope Tei ruinas siti. Margo cippi inferior intactus est, reliqui mutili. Interualla litterarum maxime inter se differunt, ita ut uersus qui minimum litterarum numerum seruarunt, sint 40, ei qui maximum 60 litterarum: ac ne longitudo quidem eadem omnium uersuum fuisse uidetur. Quorum in aliis 75 et 76, in aliis 53 et 54 litteras Waddingtonus restituit, qui mensuras satis diligenter obseruasse uidetur.

Descripsit et ectypum fecit Lebasius, edidit idem (Voyage archéologique: Asie Mineure n. 86), supplementis et commentario instruxit Waddingtonus (ibidem), repetierunt Hicksius (Greek historical Inscriptions. Oxoniae 1882 n. 149) et Dittenbergerus (Sylloge Inscriptionum Graecarum. Lipsiae 1883 n. 126), qui nonnulla in supplementis emendauerunt, de uniuerso titulo et de singulis locis interpretandis breuissime disputauerunt.

. . . . *ν τε πε* . . . .

§ 1. [*Βουλευτὴν δὲ ἀεὶ τοὺς Λεβεδίους εἰς*] *τὸ Πανιώνιον ἀποστέ*[*λλειν οἰό*]*μεθα δεῖν* [*ἕνα, παρόντα ἐπὶ τὰ κο*]*ινὰ τὸν ἴσον*

Supplementa ad quae nihil adnotaui, Waddingtoni sunt. Quae dedi, interpretationis loco me dedisse, non quo hariolari posse mihi uiderer, uix opus est monere. — 2 [*Ὅστις δὲ* (*ἂν* H.) *ἐς*] *τὸ Πανιώνιον ἀποστέ*[*λληται* W. H. ‖ [*πρᾶξαι πάντα τὰ κο*]*ινὰ* W. [*ἔχειν πάντα τὰ κο*]*ινὰ* H.

χρόνον, σκηνοῦν δὲ τοῦτον καὶ πανηγυρ[ί]ζειν μετὰ τῶν παρ' [ὑμῶν ἀποστελλομέ]|νων καὶ καλεῖσθαι Τήιον.

§ 2. [Ο]ἰόμεθα δὲ δεῖν καὶ οἰκόπεδον ἑκάστωι τῶν Λ[εβεδίων δοθῆναι] | παρ' ὑμῖν ἴσον ὧι ἂν καταλίπηι ἐν Λεβέδωι· ἕως δ'ἂν οἰκοδομήσωνται, [ἅπασι δοθῆναι | ο]ἰκίας τοῖς Λεβεδίοις ἀμισθί, ἐὰν μὲν διαμένηι ἡ ὑπάρχουσα πόλις, τὸ τ[ρίτον μέρος τῶν | ὑπ]αρχουσῶν οἰκιῶν· ἐὰν δὲ δέ(η)ι κατασκάπτειν τὴν ὑπάρχουσαν πόλιν, [καταλειφθῆναι | μὲ]ν τῶν ὑπαρχουσῶν τὰς ἡμισείας, τούτων δὲ τὸ τρίτον μέρος δοθῆ[ναι τοῖς Λεβεδίοις, τὰ | δὲ] δύο μέρη ἔχειν ὑμᾶς· ἐὰν δὲ μέρος τι τῆς πόλεως κατασκάπτηται, [καὶ ἱκαναὶ ὦσιν αἱ κατα]|λειπόμεναι δέξασθαι καὶ ὑμᾶς καὶ τοὺς Λεβεδίους, δοθῆναι τοῖς Λε[βεδίοις τούτων τὸ | τρ]ίτον μέρος· ἐὰν δὲ αἱ καταλειπόμεναι μὴ ἱκαναὶ ὦσι δέξασθαι ὑμᾶς [καὶ τοὺς Λεβεδίους, τότε] | δὲ καταλειφθῆναι τῶν μελλουσῶν κατασκάπτεσθαι τὰς ἱκανὰ[ς, ἕως ἂν τελεσθῶσιν ἱκ]|αναὶ οἰκίαι ἐν τῆι κατασκευαζομένηι πόλει· καὶ κατὰ τὰς οἰκίας τα . . . . | αν ἔξω τή[ν] τ[ε ἐ]πὶ τῆς περιβαλλομένης πόλεως.

Οἰκοδομ[εῖν δὲ τοὺς Λεβεδίους πάντ]|ας τὰ οἰκόπεδα ἐν ἔτεσιν τρισίν· εἰ δὲ μή, δημόσια εἶναι τὰ [οἰκόπεδα· οἰόμεθα δὲ]| δεῖν καὶ τὰς τέγας τῶν οἰκιῶν ἀποδοθῆναι τοῖς Λεβεδίοις, [ὅπως τάχιστα κατασκευάζ|ω]νται αἱ οἰκίαι, [ἐν ἔτε]σιν τέσσαρσιν πρὸς μέρος ἑκάστου ἐνι[αυτοῦ.

§ 3. Οἰόμεθα δὲ] | δεῖν καὶ τόπον ἀποδειχθῆναι τοῖς Λεβεδίοις οὗ θάψουσι το[ὺς νεκρούς.

§ 4. Ὅσα δὲ εἰς τόκους | ὀ]φεί[λ]ει ἡ Λεβεδίων πόλις, ταῦτα διορθωθῆναι ἐκ τῶν κοιν[ῶν προσόδων κατ' ἐνιαυτόν· τὰ]| δὲ δάνεια ταῦτα ὑμᾶς εἰς τὴν ὑμετέραν πόλιν, ὅπως οἱ Λεβ[έδιοι ὤφειλον, παραλαβεῖν.] |

---

3 πανηγυράζειν in lapide est. emend. H. πανηγυριάζειν D. quod in litteris Graecis non legitur. || 3 ἀφικομέ]νων W. || 4 Ωιομεθα in lapide. em. W. || 6 τό τ[ε πλῆθος τῶν | ὑπ]αρχουσῶν W. em. H. || 7 [σωθῆναι μὲν τῶν οἰκι|ῶ]ν W. [διαμένειν οἰκ|ιῶ]ν H. [καταλειφθῆναι τῶν οἰκ|ιῶ]ν D.|| ΔΕΙ pro ΔΕΗΙ lapicidae tribuam, quamquam pro ΔΗΙ (δῆ = δέη) scriptum esse potest, ut iudicat D. cf. Stephani Thesaur. II p. 1036 || 10 τῶν οἰκιῶν τὸ | τρ]ίτον W. || 13 τὰ[ς κειμένας κατὰ τὴν χώρ]|αν W. τὰ[ς κατὰ τὴν χώρ]αν H. τα[χθῆναι τὴν . . . . . . τὴν κατὰ τὴν χώρ]αν D. || 14 lacunam in initio uersus expleuit D. || Οἰκοδομ[ῆσαι δὲ Λεβεδίους W. || 16 τά(ς) στέγας D. || ἕως ἂν πᾶσαι καταστεγάζ|ω]νται W. || 17 [μέρ]εσιν W. em. H. || 18 Ὅσα δὲ δάνεια | ὀ]φείλει W. || 19 κοιν[ῶν προσόδων, ἀναλαβεῖν] W. || 20 Λεβ[έδιοι ἐλεύθεροι ὦσιν] W.

§ 5. *Καὶ ὅσοι δὲ πρόξενοί εἰσι τῆς Λεβεδίων πόλεως ἢ εὐεργ[έται καὶ ὅσοι ἀτέλειαν] | ἢ ἄλλην τινὰ δωρεὰν ἢ τιμὴν ἔχουσιν παρὰ τῶν Λεβεδίων, τ[ὰ αὐτὰ ἔχειν καὶ παρ' ὑ]|μῖν καὶ ἀναγραφῆναι τούτους, ὅπου καὶ οἱ ὑμέτεροι πρόξενοι [καὶ εὐεργέται εἰσὶν αναγε]|γραμμένοι, ἐν ἐνιαυτῶι.*

§ 6. *Τὰ δὲ ἐγκλήματα καὶ τὰ συμβόλαια [τὰ ὑπάρχοντα ἑκατέ]|ροις αὐτοὺς πρὸς αὐτοὺς διαλυθῆναι ἢ διακριθῆναι [κατὰ τοὺς ἑκατέρων | ν]όμους καὶ τὸ παρ' ἡμῶν διάγραμμα ἐν δυσὶν ἔτεσιν ἀφ' οὗ ἂ[ν τὸ πολίτευμα δια|τ]εθῆι· ὅσα δέ ἐστιν (ὑμῖν) πρὸς τοὺς Λεβεδίους ἢ τοῖς Λεβεδίοις π[ρὸς ὑμᾶς, ποιῆσαι πρὸς ἀλλή|λ]ους συνθήκην, γράψασθαι δὲ τὴν συνθήκην, καὶ ἄν τι ἀντιλ[έγηται πρὸς τὴν | συ]νθήκην, ἐπικριθῆναι ἐν τῆι ἐκκλήτωι ἐξαμήνωι· ἔκκλητον [δὲ πόλιν γενέσθαι] | ἀμφότεροι συνωμολόγησαν Μιτυλήνην.*

Τὰ μὲν οὖν ἄλλα ὑ[πολαμβάνομεν ἐπὶ τοιούτοις | γ]ράφειν τοὺς συνθηκογράφους οἷς ἂν ποτε γινώσκωσιν· ἐπεὶ [δὲ τοσαῦτα τὸ πλῆθος ἀκ]|ούομεν εἶναι τὰ συναλλάγματα καὶ τὰ ἐγκλήματα, ὥστε ἂν τῶι [νόμωι διακριθῆι, διὰ παν]|τὸς τοῦ χρόνου μηθένα ἂν δύνασθαι ὑπομεῖναι, — καὶ γὰρ ἕως το[ῦδε οὐ δοκεῖ προκοπὴν εἰ]|ληφέναι ταῦτα, ἅπερ οὐδὲ αἱ συν[θῆκ]αι συντετελέσθαι διὰ τὸ ἐ[κ πολλοῦ παρελκόμενα] | εἶναι ὑμῖν τὰ συναλλάγματα, — καὶ ἂν προστιθῶνται οἱ τόκοι πα[ρ' ἕκαστον ἔτος, μηθενὶ | δ]υνατὸν εἶναι ἀποτεῖσαι· οἰόμεθα δὲ δεῖν, ἂμ μὲν ἑκόντες ἀπο[τείσωσιν οἱ ὀφεί|λ|ο]ντες, γράφειν τοὺς συνθηκογράφους μὴ πλεῖον διπλασίου ἀπο[δοῦναι τοῦ χρέους·] | ἂν δὲ εἰς δίκην ἐλθ[ό]ντες ὀφείλωσι, τριπλάσιον.

§ 7. *Ὅταν δὲ ἡ συνθήκ[η συντελεσθῆι, γρά]|ψασθαι τὰς δίκας καὶ ἐγδικάσασθαι ἐν ἐνιαυτῶι· ὅσοι δ' ἂν μὴ γράψων[ται ἢ ἐγδικάσων|τα]ι ἐν τῶι γεγραμμένωι χρόνωι δικῶν οὐσῶν, μηκέτι*

---

21 *εὐεργ[έται ἢ φίλοι ἢ συγγενεῖς]* W. *εὐερ[γέται ἀναγεγραμμένοι]* D. || 24 *ἀμφοτέ]|ροις* W. || 25 *[κατὰ τοὺς πατρίους ν]όμους* W. || 26 *ἄ[ν τὸ διάγραμμα διατ]εθῆι* W. *ἄ[ν τὸ διάγραμμα προτ]εθῆι* D. || 27 (*ὑμῖν*) a lapicida omissum uidetur. || *ποεῖν ἀμφοτέ|ρ]ους* W. || 29 *[δὲ πόλιν αἱρεῖσθαι]* W. || 30 *ὑ[πομένειν δεῖ μέχρι τοῦ γ]ράφειν* W. *ὕ[στερον δεῖ ἐπὶ τοιούτοις γ]ράφειν* H. *ὑ[πὲρ τῶν ἐγκλημάτων οὕτω γ]ράφειν* D. mutato *οἷς* in *ὡς* (v. 31). || 33 *το[ῦδε οὐ δύναται τέλος εἰ]|ληφέναι* H. || 34 *ἐ[κ τῶν ἐπάνω χρόνων]* W. || 37 *ἀπολ[ύσασθαι εἰς τόκον]* W. cf. p. 30. || 38 *συνθήκ[η ἐπικυρωθῆι γρά]ψασθαι* W.

εἶναι γράψασθαι μηδ' [ἐγδικάσασθαι· ἐὰν δέ | τι]ς τῶν ὑμετέρων ἢ τῶν Λεβεδίων μὴ ἐπιδημῆι ἐν ταῖς προθεσμίαις, ἐξ[έστω τὸν ἀποδημοῦντα | πρ]οσκαλέσασθαι ἀπὸ τοῦ ἀρχείου καὶ ἀπὸ τῆς οἰκίας δηλοῦντα τῶι [ἄρχοντι . . .]|η ἐναντίον κ[λη]τό[ρ]ων δύ[ο] ἀξιό[χ]ρεων.

§ 8. *Εἰς δὲ τὸ λοιπὸν καὶ διδόναι [καὶ λαμβάνειν δίκας κατὰ νό]|μους οὓς ἂν ὑπολαμβάνοιτε ἴσους ἀμφοτέροις εἶναι. [ἀποδεῖξαι δὲ ἑκατέρους] | νομογράφους τρεῖς μὴ νεωτέρους ἐτῶν τεσσεράκοντα [ὄντας ἀνεριθεύ|τ]ους· οἱ δὲ αἱρεθέντες ὀμοσάντων γράψειν νόμους οὓς ἂ[ν νομίσωσιν βελ]|τίστους εἶναι καὶ συνοίσειν τῆι πόλει· ὅταν δὲ ὀμόσωσιν, [γραψάντων οὓς ἂν ἡγήσ|ω]νται ἴσους ἀμφοτέροις ἔσεσθαι καὶ ἐνεγκάντων ἐντὸ[ς ἑξαμήνου. εἶναι δὲ | κ]αὶ ἄλλωι τῶι βουλομένωι γράψαντι νόμον ἐσφέρειν· τῶν δὲ [εἰσενεχθέντων ὅσα] | μὲν ἂν ἐξ ὁμολογουμένων ὁ δῆμος ἐπικυρώσηι, χρᾶσθαι τού[τοις, ὅσα δ' ἂν ἀντιλεγό]|μενα ἦι, ἀναπεμφθῆναι πρὸς ἡμᾶς, ὅπως ἢ αὐτοὶ ἐπικρίνωμεν [ἢ πόλιν ἀποδείξω|μ]εν τὴν ἐπικρινοῦσαν· ἀναπέμψαι δὲ καὶ τοὺς συνομολογηθέν[τας νόμους καὶ δια]|σαφεῖν τούς τε ὑπὸ τῶν νομογράφων εἰσενεχθέντας καὶ τοὺς [ὑπ' ἄλλων γραφέντας, | ὅπω]ς ἐάν τινες φαίνωνται μὴ τὰ βέλτιστα νομογραφοῦντες, ἀλλ' [ἀνεπιτήδεια, αὐτοῖς] | ἐπιτιμῶμεν καὶ ζημιῶμεν· ταῦτα δὲ συντελέσαι ἐν ἐνιαυτῶι.*

[Ἕως δ' ἂν οἱ σύμπαν|τε]ς νόμοι συντελεσθῶσιν, οἱ μὲν παρ' ὑμῶν ᾤιοντο δεῖν τοῖς παρ' ὑμῖν [νόμοις χρῆσθαι, οἱ δὲ παρὰ | τ]ῶν Λεβεδίων ἠξίουν ἐξ ἑτέρας τινὸς πόλεως μεταπεμψαμένους [χρῆσθαι· ἐπεὶ δὲ δικαι]|ότερον ὑπολαμβάνομεν εἶναι ἐξ ἄλλης πόλεως μεταπέμψασθ[αι νόμους, κελεύσαντες μὲν ἀμ]|φοτέρους λέγειν ἐκ ποίας πόλεως βούλονται χρᾶσθαι νόμοις, συνο[μολογησάντων δὲ | ἀ]μφοτέρων ὥστε τοῖς Κώιων νόμοις χρῆσθαι, ἐπικεκρίκαμεν, τοὺς [δὲ Κῴους παρεκαλέσα|μ]εν πρὸς τοὺς νόμους ὅπως δῶσιν ὑμῖν ἐ[κ]γράψασθαι. Οἰόμεθα δὲ [δεῖν ἀποδειχθῆ]|ναι

---

41 *ἐξ[έστω τῶι δικαζομένωι* W. *τοὺς ὀφείλοντας* H. || 42 [*δικαστῆι ὅτι ὀφείλει*] | *ἢ* W. [*ἄρχοντι ὅτι ὀφείλει*] *ἢ* D. || 43 *ἐνάντιον κὰκ τόκων* W. (*μ*)*α*[*ρ*]*τ*[*ύρ*]*ων* D. || *διδόναι* [*τὰ δέοντα κατὰ τοὺς νό*]*μους* W. [*λόγον κατὰ τ. ν.* H. em. D || 44 *δ*[*εῖ δὲ ὑμᾶς αἱρεῖσθαι*] W. cf. p. 33. || 45 [*καὶ καλοὺς καὶ ἀγαθ*]*οὺς* W. || 50 *ὅσα δὲ ἀντιλεγό*]*μενα* W. || 51 [*ἢ τὴν πόλιν ἀποδεικνύω|μ*]*εν* W. || 54 [*ἀσύμφορα* W. || 56 *χρᾶσθαι οἱ δὲ | τ*]*ῶν* W. || 57 [*χρᾶσθαι· ἡμεῖς δὲ δικαι*]*ότερον* W. || 58 *μεταπέμψασθ*[*αι καὶ κελεύσαντες* W. || 60 suppl. D. || 61 *ἐγγράψασθαι* in lapide est. || [*δεῖν ὑμᾶς ἀποδεικνύ*]*ναι* W ||

τρεῖς ἄνδρας εὐθὺς ὅταν [ἡ] ἀπόκ[ρι]σις ἀναγνωσθῆι. καὶ ἀποστ[αλῆναι ἐς Κῶν ἐν ἡμέ]ρα]ις τρισὶν ἐκγράψασθαι τοὺς νόμους, τοὺς δὲ ἀποσταλέντας ἐ[π]α[νενεγκεῖν τοὺς νό]|μους ἐσφραγισμένους τῆι Κώιων σφραγῖδι ἐν ἡμέραις τρι[άκοντα. Ἐπανενεχθέν|τω]ν δὲ τῶν νόμων ἀποδεῖξαι τάρχεῖα ὑμᾶς τε καὶ τοὺς Λεβε[δίους ἐν ἡμέραις] | δέκα.

§ 9. *Ὅσοι δὲ κεχορηγήκασιν ἢ τετριηραρχήκασιν ἢ ἄλλην [τινὰ λητουργίαν παρ' ἑκα]||τέροις λελητουργήκασιν, τούτους οἰόμεθα δεῖν μηκέτι τῆι [αὐτῆι λητουργίαι ἐνέχεσθαι. ἠξί|ο]υν δὲ οἱ παρὰ τῶν Λεβεδίων καὶ χρόνον τινὰ αὐτοὺς ἀφεθῆναι [τῶν λητουργιῶν ἐν ὧι] | συνοικίζονται· ἡμεῖς δὲ οἰόμεθα δεῖν, ἂμ μὲν ὑμεῖς πάντες μέ[νητε ἐν τῆι παλ]|αιᾶι, ἀτελεῖς εἶναι τοὺς Λεβεδίους τῶν λητουργιῶν ἔτη τρία· ἐ[ὰν δέ τινες ὑμῶν] | μετοικίζωνται εἰς τὴν χερσόννησον, καὶ τούτους ἀτελεῖς εἶναι τὸν [αὐτὸν χρόνον· ὅσων δ' ἂν | αἱ] οἰκία(ι) μὴ μεθαιρῶνται, τούτους λητουργεῖν.*

§ 10. *Ἔφασαν δὲ οἱ παρὰ τῶν Λ[εβεδίων δεῖν εἰς σῖτ]ου παράθεσιν ἐξαιρεῖσθαι ἀπὸ τῶν προσόδων χρυσοῦς τετρακοσί[ους καὶ χιλίους | ὥ]στε τὸμ βουλόμενον λαβόντα τὸ χρυσίον τοῦτο εἰς ὑποθήκην [εἰσάγειν σῖτον εἰς | τὴ]μ πόλιν καὶ πω[λ]εῖν τὸν ἐνιαυτὸν ὁπόταν βούληται· ὅταν δὲ ὁ ἐ[νιαυτὸς τελευτήσηι, ἀπ]|οδίδοσθαι τὸ χρυσίον τῆι πόλει αὐτὸ καὶ τοὺς τόκους ἐφ' ο[ἷς ἂν λάβηι. Ὧν ἀξιούντων ἄλλως τε συν]|τάξαι ἡμᾶς καὶ νῦν τοῦτο γίνεσθαι, ὅπως ὑπάρχηι σί[του πλῆθος ἱκανὸν ἐν τῆι πόλ]|ει, — οὐ γὰρ ποεῖν ὑμᾶς ἱκανόν —· ὤιοντο δεῖν καὶ οἱ παρ' ὑ[μῶν ταὐτὸ γενέσθαι, ἠξίουν δὲ]| καὶ τὸ χρυσίον πλεῖον συνταχθῆναι, ἐπειδὴ ὁ συνοικ[ισμὸς κατασκευάζεται καὶ πλείον]|ες γίνεσθε εἰς ταὐτὸ ἐλθ[ό]ντες. ἡμεῖς δὲ πρότερον μὲν οὐ[κ ἐβουλόμεθα μηδεμιᾶι πό]|λει δίδοσθαι τὰ σιτηγήσια μηδὲ σίτου γίνεσθαι παράθε[σιν οὐκ ἐῶντες τὰς | π]όλεις*

---

62 *ἀποστ[εῖλαι* W. ‖ 63 *ἐπα[ναφέρειν* W. ‖ 64 *τρι[άκοντα· λαβόντας δε | τῶ]νδε* W. em. D. ‖ 66 *[λητουργίαν παρ' ἀμφο]||τέροις* W. ‖ 67 *τῆι [λητουργίαι ἐνέχεσθαι* W. ‖ 68 *[τῶν λητουργιῶν ἕως]* W. ‖ 69 *με[ίνητε* W. ‖ 71 *[αὐτὸν χρόνον, καὶ ἕως ἂν | ἧι] οἰκία, μὴ μεθαιρῶνται τούτους λητουργεῖν* W. [*αὐτὸν χρόνον, ὅσοι | δ' ἂν τὰ ἐπ]οίκια μὴ μεθαιρῶνται, τούτους λ.* D. Vide num *μὴ [κα]θαιρῶνται* scribendum sit. ‖ 73 *τετρακοσί[ους καὶ δισχιλίους* W. ‖ 75 *ἐ[νιαυτὸς τελεσθῆι* W. em. D. ‖ 76 *ἐφ' ο[ἷς ἂν δοκῆι* W. em. D. ‖ *καὶ ἠξίουν δια]||τάξαι* W. ‖ 77 *σί[του πλῆθος ἐν τῆι πόλ]ει* W. ‖ 78 *ὤιοντο (δε) δεῖν* D. ‖ *ὑ[μῶν τὴν σίτου παράθεσιν]* W. *ὑ[μῶν σῖτον παρατεθῆναι]* D. ‖ 79 *συνοικ[ισμὸς συντελεῖται* W. ‖ *πάν]||τες* W. em. D. ‖ 80 *τινι πό]λει* W. *οὐδεμιᾶι πό]λει* D. ‖ 81 *παράθε[σιν πρὶν αὐτὰς τὰς π]όλεις* W. *νομίζοντες τὰς π]όλεις* D.

εἰς ταῦτα ἀναλίσκειν χρήματα συχνὰ οὐκ ἀναγκαῖα [ὄντα· ἐβουλόμεθα δὲ | ο]ὐδὲ νῦμ ποεῖν τοῦτο πλησίον οὔσης τῆς φορολογουμέ[νης χώρας, ὥστε ἐὰν χρεία | γ]ίνηται σίτου, εὐχερῶς οἰόμεθα εἶναι μεταπέμπεσθαι ἐκ [ταύτης ὁπόσ|ο]ν ἄν τις βούληται. ἐσπουδάζομεν δὲ ὑπὲρ τούτων ταῖς [πόλεσιν βουλόμενοι συν|ε]νεγκεῖν, ἐπεὶ ὅτι γε ἰδίαι ἐκ τοῦ πράγματος οὐθὲν γί[νεται ἡμῖν, γινώσκετε | ὑ]μεῖς καὶ ἄλλοι πάντες· ἀλλὰ συντάσσομεν ταῦτα θε[ωροῦντες ὅπως ὧν ὀφ]|είλουσιν αἱ πόλεις ἐλεύθεραι γένωνται. νομίζον[τες γὰρ ὑμᾶς τό γ' ἐφ' ἡμῖν] | εἶναι τἆλλα ἐλευθέρους καὶ αὐτονόμους πεποιηκέν[αι, ἐφροντίζομεν ὅπως τούτ]|ων ἐπιμέλειάν τινα ποιώμεθα, ἵνα ἀποδ[ο]θῆι τὴν ταχίστ[ην. Ἐπεὶ δὲ ἀναγκαῖα φαί]|νεται τὰ περὶ τὴν παράθεσιν τοῦ σίτου, ὥστε μηθὲν δια[λιπεῖν ὃ δίκαιον μέν, τῶι] | δὲ δήμωι συμφέρον ἐστίν, οἰόμεθα δεῖν γίνεσθαι τὰ[ς παραθέσεις τοῦ σί]|του ὥσπερ οἱ πρέσβεις τῶν Λεβεδίων ἔλεγον, ὑπολαμ[βάνοντες χρυσί|ο]ν δίδοσθαι εἰς ὑποθήκην τὸ πᾶν χρυσοῦς χιλίου[ς καὶ τετρακοσίους.

§ 11. *Τῶν δὲ σίτων] | καὶ εἰσαγωγὴν καὶ ἐξαγωγὴν πάντων ἀποδειχθῆνα[ι ἐν τῆι στοᾶι τῆς ἀγο]|ρᾶς, ὅπως ἐάν τισι μὴ λυσιτελῆι κατάγουσιν εἰς τὴν ἀ[γορὰν ἀπὸ ταύτης ποιεῖσ]|θαι τὴν ἐξαγωγήν, ἐξουσία ἧι θεῖσιν τὰ τέλη ἐπὶ τῶν [ἐν τῆι ἀγορᾶι ἀποδει]|χθέντων ἐξάγειν. Ὅσαι δ' ἂν κῶμαι ἢ ἐπαύλια ὦσιν ἔξ[ω τῆς πόλεως | ὑμ]ῶν, νομίζομεν δεῖν προσαφορισθῆναι ἑκάστωι, ἐγγρ[άψαι μὲν πόσους ἂν καρπ|οὺ]ς ἐξάγειν βούληται ἀπὸ τῆς ἀγροικίας, ἐπαγγείλαν[τα δὲ τῶι ἀγορανόμωι καὶ τὰ | τ]έλη διορθωσάμενον ἐξάγειν.*

§ 12. *Ἠξίουν δὲ οἱ παρ' ὑμῶν [καὶ οἱ παρὰ τῶν Λεβε]|δίων καὶ ἄνδρας ἀποδειχθῆναι παρ' ἑκατέρων τρεῖς οἵτιν[ες εἴ τινα ἔτι παραλέλειπ]|ται τῶν συμφερόντων εἰς τὸν συνοικισμόν, γράψουσιν· [ἡμῖν οὖν συμφερόντως δο|κε]ῖ ἔχειν ἀποδειχθῆναι τοὺς ἄνδρας*

82 [*εἰς τὸν φόρον, καὶ θέλομεν | ο]ὐδὲ* W. [*μόνον· καὶ οὐ θέλομεν ο]ὐδὲ* H. em. D. || 83 *φορολογουμέ[νης νεώς· ἵνα δὲ πλῆθος | γ]ίνηται* W. em. D. || 84 [*τῆς ἀλλοτρίας σίτο]ν* W. [*τῆς ἡμετέρας ὅσο]ν* D. || 85 [*πόλεσιν ὅτι πλεῖστον συνε]νεγκεῖν* W. em. D. || 86 *γί[νεται κέρδος γινώσκετε* W. || 88 *νομίζον[τες οὖν ὑμῖν βέλτιον]* W. *νομίζον[τες οὖν ὑμᾶς τό γε ἐφ' ἡμῖν]* D. || 89 *πεποιηκέν[αι, ἡμεῖς δὲ περὶ τούτ]ων* W. em. D. || 90 *αποδωθηι* in lapide || *ταχίστ[ην ἃ εἰς ὑποθήκην λαμβά]νεται* W. *Ἐπεὶ δὲ συμφέροντα φαί]νεται* D. || 94 *χιλίου[ς. Οἰόμεθα δὲ δεῖν]* W. || 96 *ἀ[γορὰν ἀπ' αὐτῆς ποιεῖσ]θαι* W. || 97 [*ἐν τῆι στοᾶι ἀποδει]χθέντων* W. || 98 *ἔξ[ω τῶν τῆς πόλεως ὅρ]ων* W. || 99 *ἐγγρ[άψαι μὲν ποίους καρποὺ]ς* W. || 100 *ἐπαγγείλαν[τα δὲ τῶι τελώνηι καὶ τὰ τ]έλη* W. em. H. || 102 *οἵτιν[ες γενόμενοι ἐξετασ]ταὶ* W. ||

ἐν ἡμέραις τριάκοντ[α ἀφ᾽ ἧς ἂν ἡ ἀπόκρισ]|ις ἀναγνωσθῆι · τοὺς δὲ αἱρεθέντας γράψαι τὰ παραλελε[ιμμένα ὑφ᾽ ἡμῶν ·]| τῶν δὲ γραφέντων τοὺς μὲν ὑπ᾽ ἀμφοτέρων συνομ[ολογηθέντας κυρίους εἶ|ν]αι, τὰ δὲ ἀντιλεγόμενα ἀναπεμφθῆναι ἐφ᾽ ἡμᾶς ἐν ἄλληι διμ[ηνίαι, ὅπως ἀμφοτέρων ἀ]|κούσαντες ἐπικρίνωμεν καθ᾽ ἂν ὑπολαμβάνωμεν ἀμφο[τέροις συνοίσειν]|.

B.

§ 13. [Βασ]ιλεὺς Ἀντίγονος Τηίων τῆι βουλῆι καὶ τῶι δήμωι χαίρειν.

Ἡμεῖς τὸ [πρότερον σκοποῦντες]| ὅπου τάχιστ᾽ ἂν συντελεσθείη ὁ συνοικισμός, οὐκ ἑωρῶμεν τὰ [ἀναγκαῖα ὑμῖν | χ]ρήματα πόθεν πορισθῆι, τοῦ ἔχειν Λεβεδίο[ι]ς τὰς τιμὰς τῶν οἰ[κιῶν τάχιστα ἀποδοῦ]|ναι διὰ τὸ τὰ ἐκ τῶν προσόδων γινόμενα κατὰ χρόνους προσπορεύ[εσθαι ὑμῖν μακροτέρους · δεξάμε|ν]οι δὲ τούς τε παρ᾽ ὑμῶν καὶ τοὺς παρὰ τῶν Λεβεδίων διαπυνθανόμ[ενοι αὐτῶν εἴ τινα ἔχουσιν ὑ]μῖν πόρον εἰσηγεῖσθαι, ο[ὐ φ]αμένων δὲ ἔχειν ἔξω τῶν περὶ τὰ τέλη, ἐπισ[κεπτόμενοι τὰ δεδογμένα]| αὐτοῖς εὑρίσκομεν ἀεὶ μ[όν]ον [πρ]οεισενεγκεῖν ὑμῶν τοὺς εὐπορωτά[τους · ἡμῖν οὖν οὕτως δοκ]εῖ ἔχειν, τοὺς μέν γε εὐποροῦντας εἶναι ἑξακοσίους, προεισενεγκεῖν [δὲ τούτους οἰόμεθα δεῖν] | κατὰ τὰς οὐσίας, ὥστε γενέσθαι τὸ τέταρτον μέρος τῶν τιμῶν τάχιστ[α τοῖς Λεβεδίοις]| · τὴν δὲ κομιδὴν γενέσθαι τοῖς προεμπορίσασιν πρώτοις ἐκ τῶν προσόδω[ν.

§ 14. Τῶν δὲ τιμῶν ἔτους | δ]ιεστῶτος πασῶν συντασσομένων, τοὺς μὲν ἄξοντας τοὺς τιμήσοντα[ς τὰς οἰκίας καὶ τοὺς ἐκ]|γραψομένους τοὺς νόμους ἐκ Κῶ αἱρεθῆναι εὐθὺς ὅταν ἡ ἀποψήφισι[ς γένηται, καὶ ἀποστ]|αλῆναι ἐν ἡμέραις πέντε ἀφ᾽ ἧς ἂν αἱρεθῶσι[ν · κ]αὶ τοὺς μὲν ἐπὶ τοὺς νόμο[υς ἀποσταλέντας

---

103 [ὡς ἂν δοκῆι · νομίζομεν κα]ὶ W. [ἡμῖν οὖν ἀναγκαίως δοκε]ῖ D. || 106 τωνδε in initio uersus iterauit lapicida. || συνομ[ολογουμένους W. || 108 βέλτιστα]W. συμφέρειν] | D. || 109 τὸ[πρὶν W. || 111 οἰ[κιῶν ἀποδιδό]ναι W. 112 προσπορεύ[εσθαι εἰς ἄλλα · ἄσμεν]οι W. προσπορεύ[εσθαι διαφόρους · ἄσμε]νοι D. || 113 διαπυνθανόμ[ενοι καὶ κελεύσαντες ὑ]μῖν W. || 114 ο[ἰσ]αμένων W. em. H. || uersum expleui. || 115 εὐπορωτά[τους καὶ οὕτως συμφέ-ρ]|ει W. || 116 [δὲ εὐθὺς ἐκ καταλόγου] | W. || 118 προσόδω[ν. Τιμῶν δὲ χρόνου δ]ιεστῶτος W. || 119 τοὺς] | γραψομένους W. ||

κομισ]|αμένους ἐκ Κῶ ἀνενεγκεῖν ἐν ταῖς ἡμέραις αἷς γεγράφαμεν ἐν τῆι ἀπο[κρίσει · τοὺς δὲ ἐπὶ τοὺς τι]|μητὰς ἀποσταλέντας ἄγειν τοὺς τιμητὰς ὡς ἂν ἐνδέχηται τάχιστα. Ο . . . . |ω ἐξαριθμηθῆναι τὰς παρ' ὑμῖν οἰκίας ἃς δεῖ δοῦναι τοῖς Λεβεδίοις εἰς π[αροικίαν ἐν ἡμέραις] | δεκαπέντε ἀφ' ἧς ἂν ἡ ἀπόκρισις ἀναγνωσθῆι, τοὺς δὲ ἐξαριθμήσοντ[ας τὰς οἰκίας καὶ δώσ]|οντας τοῖς παροικιζομένοις αἱρεθῆναι ἐν τῆι πρώτηι ἐκκλησίαι παρ' ἑκάσ[της φυλῆς].

Hae litterae quo tempore datae sint, recte Waddingtonus computauit inde quod in altero edicto (v. 109) — prioris enim initium periit — regem Antigonus se appellat, quod nomen eum aestate anni 306 a. C. n. assumpsisse docuit Droysenus [1]. Cum autem interfectus sit Antigonus in pugna Ipsensi uere uel aestate anni a. C. n. 301, intra hos fines utrumque edictum scriptum esse Waddingtonus statuit. Alterum enim haud multo plus tribus mensibus post prius editum esse inde efficias, quod in altero (v. 113) iterum legati Teiorum et Lebediorum ad regem uenisse dicuntur, scilicet postquam prius edictum in Teiorum ciuitate recitatum est. Tribus autem mensibus rex iusserat ad se referri, si quae essent in synoecismo instituendo de quibus inter Teios et Lebedios conuenire non posset (§ 12). Illos igitur qui commemorantur v. 113 legatos regis iussu ad tempus profectos esse conicias.

Itaque paucos menses inter duo edicta edita interfuisse iudico. Quae cum ita sint, paullo accuratius tempus definire possimus, si meminerimus hunc Teiorum et Lebediorum synoecismum re uera perfectum non esse. Nam postquam uere anni 302 Lysimachus in Asiam exercitum traiecit, dux eius Prepelaus Ioniam expugnauit, Epheso, Teo, Colophone

123 Ο[ἰόμεθα δὲ δεῖν . . . W.

[1] Gesch. d. Hellenismus II², 2 p. 133 adn. 1.

potitus est[1]: Lysimachus postea testibus Pausania[2] et Strabone[3] Lebediorum urbem sustulit. Quod facere non potuisset, si Antigoni consilium perfectum esset. Omnes enim Lebedios Antigonus Teum translaturus erat[4].

Quamquam rem effici coeptam esse apparet inde quod Antigoni edicta lapidi mandata sunt: quod factum non esset, si rei antequam incoharetur, finis impositus esset. Cum igitur incohatam eam relinquere Teii uere anni 302 coacti sint, haud longe a ueritate aberrabimus, si anno 303 haec edicta Antigoni scripta esse statuemus.

Initio tituli haud pauca uidentur periisse. Quae supersunt in uersu 1, litterae . . *ν τε πς* . . . quid sibi uelint, nemo dixerit.

Tamen quadam cum probabilitate, quibus de rebus dictum fuerit in illis qui perierunt uersibus conieceris.

Neque enim his litteris rex primum cum Teiis communicauit consilium Lebedios Teum transducendi: utraque enim ciuitas legatos ad eum miserat qui uerbis cum rege de ea re agerent[5]. Quamquam non illum sed Graecos ipsos eius consilii auctores fuisse caue conicias: qui ciuitatem, iura, sedes suas quam inuiti reliquerint, Colophoniorum docet exemplum, qui non multo post quam hae litterae datae sunt, armis Lysimacho, qui Ephesum eos transducturus erat, restiterunt, sed ui tandem coacti sunt[6]. Atque nomine quidem liberi socii regis erant Graeci, qui si sua sponte synoecismo se coniungere uoluissent, in hanc rem se interponere regis non interfuisset.

Regis igitur iussu synoecismum institutum, legatos Teiorum et Lebediorum missos esse censeam. Itaque illius erat quam luculentissime Graecis demonstrare, ipsorum potissimum commodo se hoc consilio prouidere. Quod in prima harum litterarum parte expositum fuisse coniciam.

---

1 Diodor. XX 107.
2 I 9,7. VII 3,5.
3 XIV p. 640.
4 Cf. § 4 et 5.
5 Cf. v. 30 al.
6 Pausan. I 9. 7. Cf. quae supra exposui p. 7.

Tum certe ut Lebedios in ciuitatem reciperent, Teiis rex mandauit. Quod duobus modis fieri potuit: aut enim in Teiorum tribus Lebedii distribui aut ex eis noua tribus constitui potuit. Illo modo Magnetes in Smyrnaeorum[1], hoc Lebedii postea in Ephesiorum[2], Pereenses in Melitaeensium[3], Stirii in Medeoniorum[4] ciuitatem recepti sunt. Atque hoc etiam Tei ex regis consilio faciendum fuisse e § 3 apparet, ubi Lebedii ut suum sepulturae locum habeant statuitur. Certe *ἐπ᾽ ἴσῃ καὶ ὁμοίᾳ* Lebedii erant recipiendi, i. e. ita ut omnium iurum quorum ceteri Teii et ipsi participes fierent, praecipue iuris suffragii et iuris honorum, quorum plerumque utroque uel altero carebant iure ciuitatis donati[5].

Deinde de Lebediorum urbe et agro uerba fieri necesse erat. Illam haud dubio destrui, deorum templis tantum exceptis, regem iussisse, quo minus Lebedii occasione data in pristinas sedes reuerterentur, efficiam et ex synoecismi Ephesiorum a Lysimacho instituti[6] comparatione et inde quod in ea quae seruata est, tituli parte nusquam ratio habetur eorum Lebediorum qui in sua urbe permansuri sint. Atque domorum destruendarum pretia Lebediis a Teiorum ciuitate rependenda fuisse, altero regis edicto docemur (§ 13). Qua re ne utriusque ciuitatis contentione illae domus aestimarentur, Antigonus iussit arbitros ad hanc rem perficiendam ex alia quadam ciuitate arcessi[7]. Quos e Cois sumendos fuisse e v. 119 coniciam, ubi cum ciuitatis nomini lacunae spatium sufficere non uideatur, causa autem uix indagari possit, cur unde leges arcesserentur rex

[1] Cf. infra II.

[2] Cf. p. 54 sq.

[3] Cf. infra III de Melitaeensium et Pereensium sympolitia.

[4] Cf. infra IV de Medeoniorum et Stiriorum sympolitia.

[5] Cf. titulum Ephesium Dittenbergeri Syllogae 253 = Le Bas, Asie Mineure 136ª v. 41: *καὶ εἴ τινες δὲ πεπολιτογράφηνται μέχρι τὸν νῦν χρόνον, εἶναι πάντας ἐντίμους.* Athenis caruisse *δημοποιήτους* iure archontatum nanciscendi constat. Ceterum cf. tituli Smyrnaei infra enarrati II § 6. tituli Stiriensis v. 10—18, v. 29 sqq. Ubi quod Medeoniorum magistratui in republica Stiriorum gerenda iura quaedam attribuuntur, sympolitiae non synoecismi proprium esse infra uidebimus.

[6] Cf. p. 54 sqq.

[7] Cf. § 14.

illo loco repetiuerit, unde aestimatores arcesserentur omiserit, uerba ἐκ Κῶ ad utramque sententiae partem referenda esse censeam.

Ager Lebedius ut Teius esset erat statuendum, ita nimirum ut ciuitati Teiae plena illius agri potestas fieret. Quocum conferas uelim quae significat Xenophon de Corinthiorum cum Argiuorum ciuitate coniunctione instituta (H. G. IV 4, 6) his uerbis: *αἰσθανόμενοι δὲ ἀφανιζομένην τὴν πόλιν διὰ τὸ καὶ ὅρους ἀνεσπάσθαι καὶ Ἄργος ἀντὶ Κορίνθου τὴν πατρίδα αὐτοῖς ὀνομάζεσθαι.* Atque quibus condicionibus Pereensis ager Melitaeensis, Medeoniorum Stirius factus sit, infra nobis exponendum erit. Memineris autem Lebediis inuicem omnia iura in agro Teio (scilicet praecipue ἔγκτησιν quam Graeci appellabant) ipso ciuitatis iure adtributa esse.

Deinde de sacris utriusque ciuitatis dicendum erat, cum sine sacrorum communione communio rei publicae apud Graecos nulla cogitari possit. Atque noua sacra communia una cum synoecismis ciuitatium interdum instituta esse constat, quibus ea quae inter duas res publicas fiebat communio significaretur: ut Athenis ξυνοίκια acta esse ad totius Atticae synoecismi memoriam testis est Thucydides[1]. Exstat titulus Myconius, publici iuris factus a Cumanude[2], quem propter litterarum formas alteri fere a. C. saeculo tribuit editor, qui titulus ab his uerbis incipit:

Θεοὶ τύχηι ἀγαθῆι.

Ἐπ' ἀρχόντων Κρατίνου, Πολυζήλου, Φιλόφρονος, ὅτε
συνωικίσθησαν αἱ πόλεις, τάδε ἔδοξεν Μυκονίοις
θύειν πρὸς τοῖς πρότερον καὶ ἐπηνωρθώθη περὶ τῶν προτέρων, κτλ.

Sequitur catalogus sacrificiorum quae in certos dies instituta uel publicis sacris adscripta sunt eo ipso tempore quo Myconi ciuitates duae[3] in unam coniunctae sunt.

Similia Tei constituta esse conicias, quamquam dubitari licet, rex utrum haec fieri iusserit an Teiis permiserit constituenda. Certe dicendum erat de sacerdotiis publicis cum Lebediis com-

[1] II 15. cf. etiam Kuhn l. c. p. 21 cum nota 13.
[2] Ἀθηναίου uol. II p. 237. Dittenbergeri Syll. 373.
[3] Scylax 58.

municandis. Item omnia Teiorum templa publica uniuersae nouae ciuitatis facta esse conicias, sed dubites utrum idem de Lebediorum aedibus sacris constitutum sit, an hae uel omnes uel earum pars in Lebediorum auctoritate permanserint. Suos enim cultus etiam pagi et tribus ciuitatium Graecarum habere solebant. Omnium sacrificiorum publicorum Lebedios participes factos esse per se intellegitur: haec enim est illa *μετοχὴ πάντων θείνων* quae in pactis ciuitatum Cretensium inuenitur [1], haec illa *μετουσία πάντων* in decreto Bargylietarum [2] aliisque, sine qua ius ciuitatis absolutum non erat. Inuicem ut Medeoniorum cum Stiriis sympolitia coniunctorum sacrificia publica inter utramque ciuitatem communicata sunt [3], ita Lebediorum sacrificia fortasse uel eorum pars uniuersae ciuitatis nouae facta sunt. Quodsi certa iura Medeoniis reseruata sunt, ex sympolitiae legibus non statim de synoecismo idem effici posse memineris. Tamen quod in rebus profanis factum esse minime censeam [4], in rebus sacris etiam Lebediis reseruata esse iura quaedam haud exigua, certo apparet ex eis quae in uersibus 2—4 statuuntur, earum quas Waddingtonus haud inepte constituit paragraphorum prima. Dolendum autem est, quod huius rei, quam nosse nimirum nostra quam maxime intererat, temporum inuidia tantilla pars nobis relicta est.

§ 1.

Agitur de parte Lebediis in communi concilio Ionum reseruanda. Lebedii ex sua tribu unum eligant legatum — Teios plures misisse e uersu 3 colligimus — qui tamen non Lebediorum nomine agat, cum qui inde ab eo tempore tribus Teiorum locum obtineant, suo nomine concilii Ionum participes esse non possint. Immo hic legatus una cum eis quos ceteri Teii mittent, Teii legati fungetur munere, eademque atque illi habebit iura et officia. Nam quod in idem tempus mitti

[1] CIG 2554. 2556 sq. Naber, Mnemosyne I. 1852 p. 114 sqq. = Cauer, Del. [2]118 ([1]46).

[2] Le Bas, Asie Mineure 87 v. 24.

[3] Cf. titulum infra enarrandum in parte IV.

[4] Cf. etiam Foucart, Inscr. inéd. de l'île de Rhodes p. 64 n. 60 v. 44 et p. 69.

iubetur, inde explicandum est, quod in certum dierum numerum legatis uiatica et conuenticia adtribui a ciuitatibus Graecis solebant[1]. Huic igitur legato minus quam ceteris pecuniae dare Teii uetantur. Tum uerbis *σκηνοῦν δὲ τοῦτον καὶ πανηγυρίζειν μετὰ τῶν παρ' ὑμῶν ἀποστελλομένων* non solum ut una cum illis habitet et agat constitui uidetur, sed etiam ut eiusdem quo illi honoris particeps fiat. Cum enim decreto quodam Amphictionum Delphicorum[2] Naupactio cuidam praeter alios honores detur *σκανὰ ἐμ Πυλαίαι ἁ πρώτα*, certo ordine pro unius cuiusque dignitate in talibus synedrorum conuentibus tabernacula distributa esse uidentur. Lebedius igitur eundem quem ceteri Teii obtinebit locum.

Quae cum ita sint, eo quo feci modo uerba restituere conatus sum. *Βουλευταί* enim legati ciuitatium Ionicarum appellantur in decreto ipsius concilii[3]. Verba autem *τὸν ἴσον χρόνον* cum notionem uocis *παρεῖναι* postularent, suppleui *παρόντα ἐπὶ τὰ κοινά*. Waddingtonus enim cum scripserit *πρᾶξαι πάντα τὰ κοινά*, Hicksius *ἔχειν*, ille *πράγματα κοινά* intellexisse uidetur, hic iura: quae notio uocis insolita esse uidetur; illo modo usurpatur in titulis Smyrnaeo (CIG 3185 v. 7) et Rhodio (Foucart, Inscr. inéd. de l'île de Rhodes p. 64 n. 60 v. 40).

§ 2.

Hac paragrapho primum iubentur Teii Lebediis qui domos et fundos suos relinquere coguntur, pares fundos Tei in urbe adsignare[4]. Praeterea pretia illorum fundorum quos relicturi erant. Lebediis e Teiorum aerario rependenda fuisse docemur § 13. Quam rem non est quod miremur. Lebedios enim maximis ex sede mutata detrimentis affectos esse apparet, quippe qui non solum omni quaestu per tres annos

---

[1] Cf. tituli Smyrnaei infra (II) enarrandi v. 31 sq.

[2] Curtius, Anecdota Delphica n. 45.

[3] Dittenbergeri Syllogae 137 v. 21: *[ἀνενεγ]κεῖν δὲ ἑκάστους τῶμ βουλευτῶν τὰ ἐγ[νωσμέ]να Ἴωσι εἰς τὰς ἰδίας πόλεις.*

[4] Similiter Polybius (V 93) refert, cum Megalopolitae urbe a Cleomene destructa (222 a. C.) nouos ciues sibi adsumerent, ut haberent unde agros illis adsignarent, quosdam poposcisse, ut locupletes tertiam agrorum partem rei publicae concederent. Cui rei illos uehementer restitisse non mirum est.

priuarentur, sed etiam nouarum domorum struendarum cura onerarentur. Tribus enim annis unus quisque Lebediorum aedificationem suscipere iubetur, ut quarto anno omnes domus conficiantur. Quare quattuor pensionibus annuis ligna ad aedes struendas eis dari rex iubet. Haec quoque Teiorum sumptibus gratis eis conceduntur.

Vocabulum *τέγας* (v. 16) quamquam non frequenter, legitur tamen in litteris Graecis[1]. Quare cum Dittenbergero, qui *στέγας* restituit, mutare quicquam nolui. Waddingtoni autem supplementum uersus 16: *ἕως ἂν πᾶσαι καταστεγάζωνται αἱ οἰκίαι* non retinui, quoniam *ἕως ἂν πᾶσαι καταστεγασθῶσιν* scribendum fuisset, neque haec conueniunt eis quae sequuntur: *ἐν ἔτεσιν τέσσαρσιν*.

Ut autem quam citissime fieri possit, synoecismus conficiatur, nimirum ut omnes Lebedii ilico Teum transmigrare possint, sedes ubi interim habitent, dum nouae domus exstruantur, ut gratis eis dentur, rex constituit. Quam ad rem tertiam partem domorum quae sint Tei in urbe, eis adsignari iubet. Qua cum re conferas uelim quae constituuntur in Smyrnaeorum et Magnetum sympolitia[2] (II § 10). Nam Smyrnaei quoque cum Magnetibus ciuitatem communicantes eis Magnetum, qui sedem Smyrnam transtulerint, in sex menses habitationes se gratis daturos esse pollicentur. Atque quid intersit inter utramque causam apparet: hic omnes Lebedii Teum transmigrare coguntur, illic Magnetibus sedes Smyrnam transferendi praestatur facultas. Quae cum ita sint, hoc synoecismi, illud sympolitiae proprium esse caue censeas. Nullum enim exstare exemplum synoecismi e ciuitatium liberarum uoluntate instituti quo alterius ciuitatis ciues omnes in alteram urbem transmigrare coacti sint, supra significaui[3]. Immo illud est ciuitatium quae sua sponte inter se coniunguntur, hoc regis qui suo arbitrio ciues huc illuc transducit.

Sed etiam ut Teiis urbem suam pulchrius et salubrius aedificandi occasio daretur, rex curabat. Neque raro in synoecismis instituendis huius rei rationem habitam esse

[1] Hesych. s. v. *τέγη στέγη, οἴκημα*. Cassius Dio 39, 61, 2 (Bk) scripsit *ἐν ταῖς τέγαις* pro *ἐν ταῖς οἰκίαις*.

[2] Vide infra partem II. [3] p. 7.

Rhodi[1], Nicaeae[2], Smyrnae[3], Ephesi[4] exempla docent. Quam ad rem quod Antigonus Teiis consilium dederit, infra uidebimus (ad § 9). Ceterum utrum hoc efficiatur necne rex Teiorum arbitrio permittit. Hoc tantum constituit, ut si urbs pristina uel eius pars destruatur, tot domus interim permaneant, quot ad recipiendos Lebedios praeter pristinos incolas necessariae sint. Quae cum huius paragraphi sententia sit, displicet quod Dittenbergerus conicit, uersibus 13 sq. de distribuendis oneribus et sumptibus moenium exstruendorum uerba fieri, quamquam haec expedire mihi non contigit. Immo de sedibus Lebediis dandis, si domus quae in urbe essent, non sufficerent, dicendum erat. Tum autem extra urbem et loco elato illo[5] qui est supra urbis moenia, Lebedii interim habitaturi fuisse uidentur. Alia enim quae sit *ἡ χώρα ἔξω ἥ τε ἐπὶ τῆς περιβαλλομένης πόλεως* cogitare uix possum.

§ 3.

Sepulturae locum tribus Lebediorum ut separatim habeat, atque hic ut gratis eis detur, statuitur. Qua ex re quid efficiendum sit, supra significaui p. 19.

§ 4.

Hac tituli parte quid statuatur, dubium esse non potest: nimirum aes alienum Lebediorum urbis in Teiorum i. e. in nouae ciuitatis tabulas publicas recipiendum esse. Quae cum ita sint, uerba parum recte Waddingtonus restituisse mihi uidetur. Nam ut hic uir doctissimus sententias suppleuit, priore iubentur Teii aes alienum Lebediorum creditoribus ex aerario suo dissoluere, altera in tabulas suas illud recipere. Haec autem inter se pugnant. Immo in priore paragraphi parte non de eadem re uerba fieri apparet atque in altera, in qua cum diserte habeas *τὰ] δὲ δάνεια ταῦτα* (i. e. sortem ipsam), in illa uix de ulla re alia dictum esse potest, quam de usuris huius pecuniae. Has igitur quotannis ex aerario

[1] Cf. Kuhn. l. c. p. 211. [2] Cf. p. 53.

[3] p. 53. [4] p. 54 sq.

[5] Cf. mappam maritimam Britannicam (edited by the Hydrographic Office of the Admirality) n. 1893: „Sighajik Bay“. Cuius partem repetiit Hirschfeld in Archaeolog. Zeitung 1876 p. 24.

suo Teii soluere iubentur. Ceterum quod de solo Lebediorum aere alieno hic dictum est, inde caue efficias, ea quae Teii ante synoecismum debuerint, hos (excepta Lebediorum tribu) solos soluturos fuisse. Neque enim caruisse eos aere alieno colligimus e uersibus 87 sq. Sed cum Teiorum urbs et ciuitas permaneat, Lebedus urbs tollatur, regem de solo Lebediorum aere alieno dicere censeam eo consilio, ut quod Teii ante synoecismum debebant, ei qui nunc Teii audiunt, soluturi sint.

§ 5

Rex ut quam minime possint, Lebediorum iura deminuantur curat. Qua re constituit, ut qui priuilegia a Lebediorum ciuitate acceperint, eis eadem a Teiorum ciuitate tribuantur, decreta lapidibus inscripta eodem loco ponantur ubi cetera decreta honoraria Teiorum posita sint[1].

§ 6

Communio iuris cum apud ueteres nisi ex pactis publicis eis tantum esset qui eiusdem ciuitatis ciues essent, de hac re cum in aliis foederibus, tum in eis plerumque constituitur quibus ciuitates duae uel plures aut synoecismo aut sympolitia aut isopolitia artius inter se coniunguntur. Omnes quae e ciuitatium simultatibus ortae sunt, causas lege foederis persequi ciues plerumque uetantur[2]: priuatae lites quomodo et quibus legibus diiudicandae sint, statuitur. Illae cum inter Teios et Lebedios non sint, de his solis nostro loco agitur.

[1] Cf. titulum Ephesium apud Woodium, Discoveries at Ephesos. Inscriptions of the temple of Diana 24: *ἀναγράψαι δὲ τὰ ὀνόματα τῶγ γενομένων πολιτῶν τοὺς νεωποίας ὅπου καὶ τοὺς ἄλλους πολίτα[ς ἀναγράφουσιν]*, ubi ex titulo ipso inuento nimirum eodem loco ubi etiam cetera decreta honoraria Ephesiorum inuenta sunt, cognoscas non de nominibus catalogo (de quo cogites) inscribendis uerba fieri.

[2] Cf. tituli Smyrnaei infra enarrandi II § 5, et tituli Orchomenii Dittenb. Syll. 178 v. 13 sqq.: *εἰ δέ τι ἐκ τῶν ἔμπροσθε χρόνων ἢ οἱ Ὀρχομένιοι Ἀχαιοὶ ἐγέ[νοντο ἤτοι] Νε[ά]ρ[χωι] ἔγκλημα γέγονεν ἢ τοῖς υἱοῖς, ὑπότομα εἶμεν πάντα, καὶ μ[ὴ] δικαζέ]σθω μή[τε] Νεάρχωι μηθεὶς μήτε τοῖς υἱοῖς αὐτοῦ, μηδὲ Νέαρχος μηδὲ [τῶν υἱῶν αὐ]τοῦ μηθεὶς περὶ τῶμ πρότερον ἐγκλημάτων ἢ οἱ Ὀρχομένιοι Ἀχαιοὶ ἐγέ[νοντο· καὶ] ὅ[στ]ις δικάζοιτο, ὀφλέτω χιλίας δραχμὰς καὶ ἁ δίκα ἀτελὴς ἔστω.*

Omnes igitur lites quae sunt inter ciues Teios uel inter Lebedios, secundum eas leges quae antea apud Teios et Lebedios ualebant, diiudicabuntur, nisi arbitrio eas componere contingat. Atque ita agetur et in eos qui e delicto, et in eos qui e contractu obligantur. Haec enim sunt *ἐγκλήματα* et *συμβόλαια*[1]. Nam cum *συμβόλαια* proprie contractus priuati dicantur, tum litterae quibus illi rati fiunt (*συγγραφαί*), denique iura et postulata quae ex eis oriuntur[2], Waddingtonus et Hicksius proprie nostro loco dici censuerunt („engagements pécuniaires", „contracts"). Quod si uerum esset, uix explicari possent uerba uersus 27: *ὅσα δέ ἐστιν* (*ὑμῖν*) (hoc desiderari non potest) *πρὸς τοὺς Λεβεδίους ἢ τοῖς Λεβεδίοις πρὸς ὑμᾶς*. Contractus enim ciuis Teii cum Lebedio et Lebedii cum Teio discernere nihili est, neque contractus petuntur iure, sed ea quae ex his debentur.

Memoria dignum est etiam iudicia ciuitatium liberarum et foederatarum regem temperasse: edictum enim de iuris dictione ediderat (v. 26: *τὸ παρ' ἡμῶν διάγραμμα*). Quod cum eo tempore quo hae litterae scriptae sint, iam datum fuisse appareat, iure respuit Dittenbergerus Waddingtoni supplementum *ἀφ' οὗ ἂν τὸ διάγραμμα διατεθῆι*, nec tamen

[1] Cf. Polyb. XX 6, 1 *ὥστε σχεδὸν εἴκοσι καὶ πέντε ἐτῶν τὸ δίκαιον μὴ διεξῆχθαι παρ' αὐτοῖς, μήτε περὶ τῶν ἰδιωτικῶν συμβολαίων μήτε περὶ τῶν κοινῶν ἐγκλημάτων*, quibus uerbis infra respondent haec: § 3 *δι' ὧν ἔμελλε τῶν μὲν ἀδικημάτων καὶ τῶν ὀφειλημάτων οὐχ ὑφέξειν δίκας*. Cf. etiam eiusdem XXIII (XXIV) 1, 11. CIG 2265.

[2] Cf. Dittenberger in Hermae XVI p. 188. Propria significatione saepe usurpatum uerbum illud inuenies: altera in argumento or. Dem. 32. c. Zenoth. (cf. argum. or. 34). Hesych. s. v. *συμβόλαιον συνάλλαγμα, συγγραφή*. Photius s. v. Suidas s. v. *συμβόλαιον τὸ γραμματεῖον*. tertia apud Demosthenem haud raro: or. 34,3 (c. Phorm. p. 907) *καὶ γὰρ οὗτοι οὐ τὸ παράπαν συμβόλαιον* (contractum) *ἐξαρνοῦνται μὴ γενέσθαι ἐν τῷ ἐμπορίῳ τῷ ὑμετέρῳ, ἀλλ' οὐκέτι εἶναί φασι πρὸς ἑαυτοὺς οὐδὲν συμβόλαιον* (postulationem e contractu). or. 32,7 (c. Zenoth. p. 884,9). or. 49,2 ([Dem.] c. Timoth. p. 1185,11) *καίτοι σφαλέντος μὲν τούτου* (Timotheo) *ἀπώλλυτο καὶ τῷ πατρὶ τῷ ἐμῷ τὸ συμβόλαιον* (postulatio e contractu). Lysias c. Eratosth. 98. p. 129,24 *μικρῶν ἂν ἕνεκα συμβολαίων ἐδούλευον ἐρημίᾳ τῶν ἐπικουρησόντων* (non contractus parui erant, sed obligationes e contractu oriundae). *συνάλλαγμα* quod eodem sensu legimus vs. 32. 35 tituli nostri, etiam Polybius ita dixit XIII 1. 1[a]. XXII 4, 11 (XXIII 2 Bk). cf. Photius s. v. *συμβόλαια τὰ συναλλάγματα*. Hesych. l. l.

aptius ipse scripsit προστεθῆι. Caue enim hoc ipsum quod in manibus est, edictum intellegendum esse censeas, quod semper ἀπόκρισις appellatur (v. 62, 105, 122; — 125). Ut uidetur, omnes hae causae absoluendae sunt duobus annis postquam noua ciuitas erit constituta.

Eae autem quae aguntur a ciue Teio in Lebedium, uel a Lebedio in Teium, neque e Teiorum neque e Lebediorum legibus diiudicandae sunt, neque si quod antea pactum (σύμβολον) de hac re Teiis atque Lebediis erat, ratum esto. Sed nouam legem propriam ferri secundum quam hae causae diiudicentur, Antigonus iubet. Quae antequam rata facta sit, ne deferri quidem ad iudicem res poterunt (v. 38 sq.). Haec autem lex dabitur pacto quod inter Teios et Lebedios conuenerit. Quam ad rem conficiendam eligetur collegium uirorum (συνθηκογράφων) qui quae optima sibi uisa sint (v. 30) constituant, constituta tabulis inscribenda curent. Hoc enim est γράψασθαι τὴν συνθήκην (v. 28), non quod Waddingtono uisum est: „dénoncer à l' assemblée, soumettre à la discussion". Hoc quod inter συνθηκογράφους conuenerit pactum, tabulis inscriptum publice uidetur proponendum et comitiis cum Teiorum tum Lebediorum approbandum fuisse, ita ut quae utrique ciuitati placuissent, rata fierent, de quibus rebus inter Teios et Lebedios conuenire non posset, de eis in iudicio ad hanc rem ipsam constituto agere liceret. Iudicium illud dicitur ἡ ἔκκλητος ἑξάμηνος scil. δίκη. Perperam enim Waddingtonus in uersu 29 post ἐκκλήτωι interpunxit, cum haec uerba sic intellexisset: ἐν τῆι ἐκκλήτωι (πόλει, ἐν) ἑξαμήνωι (χρόνωι). Quae res datiuo solo neque significari potest, neque ullo tituli loco significatur[1]: unde satis apparet iure Dittenbergerum uirgulam quam post ἐκκλήτωι Waddingtonus posuit, deleuisse. Coniungenda enim inter se sunt ἐν τῆι ἐκκλήτωι ἑξαμήνωι scil. δίκηι.

Plerumque autem iudicia ἔκκλητα in senos menses constituta esse apud Graecos uidentur, cum etiam Latii et Olontii cum Gnosiis paciscentes de iudicio instituendo in quo lites inter ciuitates Latiorum et Olontiorum ortae diiudicentur[2],

[1] Cf. v. 15. 24. 26. 39. 55. 64. 104. 107. 121. 122. — 48 ἐντός.

[2] Homolle, Bull. de Corr. hell. III 290 sq.

hoc statuant: *κρινόντων δὲ οἱ Κνώσιοι ἐν ἑξαμήνωι.* Postea cum hoc spatium non sufficere uideretur, in duodecim (= bis sex) menses prolatum est. — Halicarnassi [1] (si hoc quoque *ἐκκλήτου δίκης* simile exemplum adferre licet) ad lites diiudicandas quae ortae erant inter ciues utriusque factionis, et regiae et popularis, de agrorum et fundorum possessione, cum Lygdamis tyrannus dominatu se abdicare cogeretur, duodeuiginti (ter sex) menses constituti sunt. Ceterum *ἔκκλητος δίκη* qualis sit, haud paucis quae in titulis Graecis seruata sunt exemplis illustratur. Qua de re optime disseruit M. H. E. Meier (Die Privatschiedsrichter und öffentlichen Diaeteten Athens p. 30 sq.). Tamen quod dubitat hic uir doctus, num *ἔκκλητος πόλις* ea a Graecis appellata sit ciuitas ad quam lites quae inter ciuitates duas ortae sint, diiudicandae deferrentur, quo modo nisi uno Plutarchi loco (Apophth. Lacon. p. 215 c) haec uox non usurpetur, nostro exemplo probatur artius eum illius usum circumscripsisse[2]. Diserte autem de i u d i c i o inter Athenienses et Lacedaemonios faciendo illo loco Plutarchus dixit. Qua in re praecipue uis huius uocis posita est. *ἔκκλητος πόλις* enim ea est ciuitas quae ut iudices det euocatur (*ἐκκαλεῖται*).

Nostro loco si quid de pacti condicionibus inter Teios et Lebedios non conueniat, a Mytilenaeis iudices postulandi sunt, apud quos de eis condicionibus agatur et qui quid de eis statuendum sit, iudicio facto decernant[3].

---

[1] Dittenb. Syll. 5 v. 18.

[2] Cf. etiam CIA II 308.

[3] Cf. tituli nostri v. 51 sq. Vox *ἐπικρίνειν* (decernere) de iudicio faciendo usurpatur etiam in lege de mysteriis Andaniensibus data v. 81: *ἂν δέ τις ἁλῶι, ὁ μὲν δοῦλος μαστιγούσθω ὑπὸ τῶν ἱερῶν, ὁ δὲ ἐλεύθερος ἀποτεισάτω, ὅσον κα οἱ ἱεροὶ ἐπικρίνωντι.* — Tit. Lebadensis (Fabricius, De architectura Graeca. Berol. 1881 p. 6. *Ἀθηναίου* IV p. 369) v. 41 sq. *ἐὰν δὲ πρὸς αὐτοὺς ἀντιλέγωσιν οἱ ἐργῶναι περί τινος τῶν γεγραμμένων, διακρινοῦσιν οἱ ναοποιοὶ ὀμόσαντες ἐπὶ τῶν ἔργων, πλείονες ὄντες τῶν ἡμισέων. τὰ δὲ ἐπικριθέντα κύρια ἔστω.* Item *ἐπίκρισις* dicitur in titulo Tegeatico (Cauer[1] 117): *ζαμιόντω οἱ ἐσδοτῆρες ὅσαι ἂν δέατοί σφεις ζαμίαι καὶ ἀγκαρυσ(σόντ)ω ἰν ἐπίκρισιν καὶ ἰναγόντω ἰν δικαστήριον τὸ γινόμενον τοῖ πλήθι τᾶς ζαμίαν.* ib.: *τὸν δὲ ἐργώναν ζαμιόντες ἰν ἐπίκρισιν.* — *ἐπικριτήριον* dicitur iudicium *ἔκκλητον* quoddam CIG 2556 v. 68, ubi cf. Boeckhii adnotationem. — *διαιτητῶν* arbitria *ἐπικρίσεις* appellantur in titulo Ephesio (Dittenb. Syll. 344) v. 5 sq.: *ἃ δ' ἂν οἱ δικασταὶ [δικάζωσιν], ἀναγράψαντες*

Altera huius paragraphi parte agitur de legibus quibusdam pacti quas collegio electorum (*συνθηκογράφοις*) rex non permittendas esse censuit, sed ipse constituit. Praeter necessitatem hoc loco mihi uidetur Dittenbergerus a litteris in lapide traditis recessisse; neque de delictis tantum, sed etiam de contractibus dicendum erat. Cum autem Waddingtoni supplementum nullo modo stare possit, optime scripsit Hicksius: *ἐπὶ τοιούτοις — οἷς*. — Funditus restituendi erant uersus 33—35, quorum supplementa a Waddingtono proposita sententiae non sufficiunt. Atque proficiscendum erat inde quod eo enuntiato quo parenthesin effici particulis *καὶ γάρ* indicatur, causa contineri debebat eius rei quae in principali sententia pronuntiatur. Cum uero id quod Hicksius suppleuit: *οὐ δύναται τέλος εἰληφέναι ταῦτα*, graece dici non posse uideatur, scripsi *οὐ δοκεῖ προκοπὴν εἰληφέναι ταῦτα*, Polybii exemplum secutus[1]. Referendum enim esse uidetur pronomen *ταῦτα* ad ea quae in praecedenti enuntiato optime restituit Waddingtonus: *ἂν τῶι νόμωι διακριθῆι*. Quam rem parum processisse rex dicit: neque minus quam iudicia etiam compromissa debitorum et creditorum (*αἱ συνθῆκαι*) impedita esse ea re quae in uerbis sequentibus exponitur. Haec autem res non inest in Waddingtoni supplemento *ἐκ τῶν ἐπάνω χρόνων*. Nam inde quod contractus aliquis superiore tempore factus est, nunquam compromissum uel iudicium potest prohiberi: potest autem, si per aliquod tempus contractus legibus satisfactum non est, scilicet usurae solutae non sunt, lites autem inde ortae productae sunt. Quae suppleui deprompsi e Polybii XXII 4 (XXIII 2 Bk) § 11: *συνέβαινε γὰρ καὶ τὰ πρὸς τούτους συναλλάγματα παρέλ-*

εἰς λεύ[κω]μα οἱ εἰσαγωγεῖς καὶ τὰς ἐπικρίσεις τὰς τῶν διαιτητῶν ἃς ἂν ἐπὶ τοῦ δικαστηρίου συνομολογήσωσιν. cf. etiam legis Andaniensis v. 84 sq.: *ὁ δὲ ἱερεὺς ἐπικρινέτω περὶ τῶν δραπετικῶν ὅσοι κα ἦνται ἐκ τᾶς ἁμετέρας πόλεος, καὶ ὅσους κα κατακρίνει, παραδότω τοῖς κυρίοις*. -- Adprobandi significatione, qua etiam in nostro titulo legitur v. 60, uocabulum illud usurpatur CIG 2166 v. 23 *τα]ῖς διαλυσίεσσι ταὶς ὁ βασιλεὺς ἐπέκριννε* (*ἐπεκρίννε*|[*το* Böckh), cf. Herodian. Ab excessu d. Marci 6,1,2 (Bk): *οὐδέ τι ἐλέγετο ἢ ἐπράττετο, εἰ μὴ κἀκεῖνοι αὐτὸ ἐπικρίναντες σύμψηφοι ἐγένοντο*. v. etiam Plut. Lyc. c. 6. et Dionys. Hal. AR. 7,38.

[1] VIII 17,6 *ταχέως ἐλάμβανε τὸ πρᾶγμα προκοπήν*. cf. etiam eiusdem X 47,12. V 16,9 et I 12,7. II 13,1. 37,10. 43,7. 45,1. III 4,2.

κεσθαι πολὺν ἤδη χρόνον[1]; quam eandem rem apud Boeotos impedimento fuisse, quominus iudicia fierent, Polybius refert.

Cum igitur lites pecuniariae prohibitis iurisdictione et compromissis propter eas quas exposui causas, adeo accreuerint, ut si legitimo ordine omnes illae causae diiudicentur, et dilatione creditores et usuris amplius accrescentibus debitores ne obruantur, summum sit periculum, uiam demonstrat rex qua compromissa et iudicia adiuuanda sint. Hoc autem remedium ea condicione continetur quam in pacto scribi Antigonus iubet: ut ei debitores qui secundum hoc pactum compromissum cum creditoribus ineant, ex quantocumque tempore usuras non soluerint, non plus quam duplam sortem pendant, scil. praeter hanc ipsam 100 p. c., i. e. circiter octo annorum usuras: qui iudicium experiri malint, totius debitae pecuniae damnentur usque ad 200 p. c. praeter sortem. Hoc enim probabilius uidetur quam quod Waddingtonus statuit: *μὴ πλεῖον διπλασίου ἀπολύσασθαι εἰς τόκον.* Nam ut hoc praetermittam, *ἀπολύσασθαι* uerbum hac significatione insolitum esse, *Λ* autem pro *Δ* in loco mutilo facile legi potuisse — hoc modo omnibus debitoribus qui minus quam sedecim annorum usuras non soluissent, ad compromissa ineunda stimulus non potuit admoueri, cum alioqui omnes qui plus quam octo annorum fenora debebant, haud dubio bene secum agi putarent, si dupla sorte soluta dimittere possent creditores. Hi autem cum terminum sibi impositum esse uiderent ultra quem nihil accepturi essent, spes erat fore ut diutius manere non uellent, si modo compromisso probanda condicione facto pecuniam nanciscerentur.

Hoc unum igitur rex ipse constituit: cetera uirorum electorum collegio (*συνθηκογράφοις*) permittuntur deliberanda et proponenda, quibus legibus et in quo iudicio causae inter Teios et Lebedios essent diiudicandae.

§ 7.

Sed eae leges de quibus ita conuenerit, cum ad eas tantum causas ualeant quae pendent inter utriusque urbis ciues eo tempore quo hoc edictum editur, cauetur ne etiam

[1] Cf. § 2: *τῆς δικαιοδοσίας ἑλκομένης παρ' αὐτοῖς σχεδὸν ἐξ εἴκοσι καὶ πέντε ἐτῶν.*

alii ad quos non pertinent, haec priuilegia sibi uindicent. Qua re intra anni spatium omnes has causas ad iudices deferri rex iubet, quae non delata sit hoc legitimo tempore, dum liceat agere (*δικῶν οὐσῶν*), eam causam irritam fieri.

In his una desiderat explicationem uox *ἐγδικάσασθαι*, quae haud saepe hoc modo legitur, praesertim cum uerbo *γράψασθαι* coniuncta. Actiuum enim *ἐκδικάζειν* de iudice dicitur qui causam absoluit, medium de actore qui rem aliquam iure postulat, ut et de uindicatione et de ea condictione usurpari uideatur qua dari nobis oportere intendimus. Harpocratio p. 107,8 Ddf.: *ἐκδικάσασθαι ἀνάδικον · ἐκπρᾶξαι διὰ τὸ* (l. *τοῦ*) *δικάσασθαι*. Tabulae Heracleensis I v. 48: *ταύταν τὰν γᾶν κατεσώισαμες ἐγδικαξαμένοι δίκας τριακοσταίας τοῖς τὰν ἱαρὰν γᾶν Fιδίαν ποιόντασσιν*, (cf. II 26 *καὶ τοὶ μὲν ἐρίξαντες ἀπέσταν, τοῖς δὲ ἐδικαξάμεθα δίκας τριακοσταίας κτλ.*) et ibidem I 128: *αἰ δέ τίς κα ἐπιβῆι ἢ νέμει ἢ φέρει τι τῶν ἐν τᾶι ἱαρᾶι γᾶι, ἢ τῶν δενδρέων τι κόπτηι ἢ θραύηι ἢ πριῶι, ἢ ἄλλο τι σίνηται, ὁ μεμισθωμένος ἐγδικαξήται ὡς ἀπολίστων, καὶ ὅτι κα λάβει, αὐτὸς ἑξεῖ.* CIG III 4259: *καὶ προσαποτεισάτω τάλαντον ἀργυρίου καὶ ἐξέστω τῶι βουλομένωι ἐγ[δ]ικά[ζ]εσ[θ]αι περὶ τούτων.* Le Bas, Asie min. 85: *εἰ δέ τίς κα ἄγηι ἢ αὐτοὺς ἢ τὰ ἐκ τᾶς πόλιος ἢ χώρας, τὰ μὲν ἐμφανῆ ἀναπράσσειν τὸν στραταγὸν καὶ τοὺς συνέδρους ἀεὶ τοὺς ἐνάρχους, τῶν δὲ ἀφανέων ὑποδίκους εἶμεν τοὺς ἀχνηκότας, γινομένας τοῖς Τηίοις τᾶς ἐγδικάσιος καὶ τᾶς λοιπᾶς οἰκονομίας*[1]. Nostro igitur loco *γράψασθαι καὶ ἐγδικάσασθαι* ita dicta esse uidentur, ut illud de omnibus in uniuersum actionibus, hoc de eis quas significaui, intellegendum sit.

Excipiuntur autem illa lege ei quorum debitores eo ipso anno quo causae agantur, peregre sint. Horum igitur causae solae etiam post illum annum pacti legibus diiudicabuntur. Qua specie (scilicet peregre fuisse debitorem) ne quis legis uim eludere posset, Antigonus constituit, ut haec exceptio eis tantum ualeret qui legitimis quibusdam

---

[1] Euripides actiuum *ἐκδικάζειν* dixit pro uindicare: Suppl. 154: *ἦ πού σφ' ἀδελφὸς χρημάτων νοσφίζεται; ΑΔΡ: ταῦτ' ἐκδικάζων ἦλθον.* ib. 1215: *παισὶ δ' Ἀργείων λέγω· Πορθήσεθ' ἡβήσαντες Ἰσμηνοῦ πόλιν, Πατέρων θανόντων ἐκδικάζοντες φόνον.*

sollemniter confectis, quibus comprobarent peregre esse debitorem, dilationem ex lege impetrassent. Quae cum ita sint, in uersu 41 non dubitaui supplere *ἐξέστω τὸν ἀποδημοῦντα προσκαλέσασθαι.* Insolentia igitur huius rei, quod reus absens in ius uocatur, causa est, cur insolenti modo hoc conficere rex iubeat: neque enim a domo solum, sed etiam a praetorio accusator reum in ius uocato, et referto ad praetorem, scilicet ut tabulis publicis res consignetur et confirmetur ei ius etiam post annum legitimum pacti lege in debitorem agendi. Haec autem fiant testibus praesentibus, quos num adhibere uelit necne cum accusatori permitti uix possit, suspicor litteram *η* quae est ante *ἐναντίον* ad aliam potius uocem pertinere, quae perierit cum magistratus nomine, quam scribendum esse *ἤ* cum Waddingtono et Dittenbergero. Certe pro *ΚΑΚΤΟΚΩΝ* quod nihili est, restituendum est *κλητόρων.* De testibus dici etiam Dittenbergerus perspexit, cum scriberet *μαρτύρων.* Ei autem qui in ius uocando (*προσκλήσει*) intersunt testes non *μάρτυρες*, sed attice quidem *κλητῆρες*, communi autem dialecto *κλήτορες* dicuntur [1]. Quos duos ut hic ita Athenis semper fuisse et constat et diserte Demosthenes testatur (c. Boeot. p. 1017,6. or. 40,28: *οὗτοι ὥσπερ κλητῆρες δύο μόνοι ὄντες μαρτυροῦσι*). Conuenit huic supplemento etiam uox *ἀξιόχρεων*, quae de testibus locupletibus sollemniter dicitur [2].

§ 8.

Primam huius paragraphi sententiam cum Waddingtonus et Hicksius cum superiore periodo coniungant, ad causas eorum qui peregre sunt, referre uidentur. At cum non eis quae postea ferentur, sed pacti legibus illas causas (si in

---

[1] Forma *κλήτωρ* communis pro attica *κλητήρ* (cf. *φρατήρ* et *φράτωρ*) praeter Plutarchum (de sanitate p. 128 f.) apud grammaticos tantum legitur: Herodian. *Περὶ καθ. προσ.* B. p. 49,1 (L) *Τὰ εἰς ωρ πάντα βαρύνεται. ῥήτωρ, κλήτωρ* etc. cf. *Περὶ μον. λεξ.* B. p. 937, 26. Schol. Aristoph. Plut. 891. Nub. 1301. Hesych. s. v. Suidas v. *κλητεύει.* Lex. Seg. p. 272, 6. Apud Demosthenem p. 1147, 6 (or. 47, 27) cum codice Σ legendum est *κλητῆρες*; p. 244, 3 (or. 18, 55) in libello uerbis oratoris interposito *κλήτορες* legitur.

[2] Demosth. p. 1026, 19 (or. 40, 61). Plato Apol. p. 20 e. Dio Chrys. or. 66, II 352 R.

tempore postulantur) agendas esse appareat, a Dittenbergero hunc locum recte constitutum esse censeo.

Haec enim paragraphus in duas diuiditur partes, quarum priore agitur de nouis legibus nouae ciuitati dandis, altera de eis legibus quibus interim donec illae ratae factae sint, Teii et Lebedii utantur.

Atque ad illam rem conficiendam sex uiri eligentur qui dato iure iurando leges quae optimae sibi uideantur, intra definitum quoddam temporis spatium conscribant. Haud recte enim Waddingtonus uersum 44 suppleuisse, immo ternos uiros ex utraque ciuitate creandos esse e § 12 apparet, ubi eadem fere uerba in re nostrae simili repetuntur. Etenim *ὑμεῖς* in hoc titulo semper Teii appellantur, neque par erat Lebedios a legum communium latione excludere. Quod eo minus hoc loco erat statuendum, cum omnino regem diligentissime Lebediorum iura curare uideamus, neque iniuria, cum illis maxima ex toto eius consilio satis uiolento incommoda oriantur. Praeterea *δεῖ* quod Waddingtonus hic restituit, aliis tituli locis similibus non occurrit. *Δ* autem pro *Α* in loco mutilo facile legi potuit.

Deinde *καλοὺς καὶ ἀγαθοὺς* (v. 45) minus aptum esse uidetur; *ὄντες ἀνερίθευτοι* legitur CIG 2671 v. 45 de iudicibus in decreto Calymniorum dorice scripto; in Mylasensium decretis *ἀνερίθευτος καὶ ἀδωροδόκητος γενόμενος* de stratego[1] et de homine quodam qui compluribus honoribus functus est[2]; in titulo Chio saeculi a. C. n. V.[3] de iudicibus dicitur: *ἀνηρίθευτοι ἐόντες*[4].

In uersu 48 quod Waddingtonus suppleuit, *ἐντὸς ἑξαμήνου*, retinui, cum tota res intra anni spatium conficienda sit.

---

[1] Le Bas, Asie Mineure 408.

[2] ibidem 407 = CIG 2693 d.

[3] Röhl IGA 381.

[4] Cf. Philo leg. ad Gaium § 10 (II p. 555, 40), denique v. l. apud Diod. I 72 (*μαρτυρίαν*). — *Ἐριθεύεσθαι* apud Aristotelem (Polit. V 3 p. 1303) „pretio corrumpi" esse uidetur, ut *ἐξεριθεύεσθαι* actiua significatione Polyb. X 22, 9. Suidas s. v. interpretatur: *ἐριθεύεσθαι ὅμοιόν ἐστι τῷ δεκάζεσθαι.* nam proprie *ἐριθεύω* significat „mercennarium esse".

Rogari leges a sex uiris conscriptas rex iubet in comitiis, nimirum totius nouae ciuitatis, quorum et Teii et Lebedii participes sint. Tamen neque a legum latione manus prorsus abstinet, cum et eis poenam comminetur qui leges rogauerint malas, h. e. ipsius rebus aduersas, et si quid inter Teios et Lebedios non conuenerit, se ipsum decreturum esse dicat. Mitius tamen interueniendi genus est, quod se tertiam electurum esse ciuitatem promittit quae de eis rebus decernat, scilicet ex ciuibus suis uiros aliquos eligat qui arbitrorum munere fungantur.

Anni spatio leges nouas confici rex iubet. Cum tamen interim ius aliquod esse debeat, quomodo hoc curandum sit, ciuitatibus se permisisse dicit. Quod Teii suis legibus interim utendum esse censuerint, Lebedios oblocutos esse. Quare se his concessisse, ut ex alia quadam ciuitate leges arcesserentur; atque etiam hanc ciuitatem eligendam se legatis permisisse. Qui cum compromiserint in Coorum ciuitatem, horum leges se interim ratas fieri uelle, ad Coorum magistratus se scripsisse, ut leges Teiorum legatis describendas concederent. (Hoc modo optime Dittenbergerus uersum 60 restituit.) Denique legatos eligi iubet qui tribus diebus post ad leges arcessendas proficiscantur. Quae ubi menstruo spatio adlatae fuerint, ut magistratus secundum eas leges designentur decem diebus statuit[1].

Quae cum reputes, rex uidelicet Graecis maxime morem gessisse uideatur. Mireris tamen cur Coorum ciuitatem Teii et Lebedii elegerint, cum Doricis legibus uti Iones postulasse minime exspectaueris, nisi Antigonus eis hoc suggessisset. Quae cum ita sint, Lebediorum aemulationem causam speciosam regi praebuisse suspicor qua consilia sua Teiis insinuaret.

Atque cur Coorum potissimum legibus eos uti rex

---

[1] Mire Waddingtonus uersum 65 sic interpretatus est: „Et dix jours plus tard vous et les Lébédiens vous vous en présenterez les copies certifiées“. Immo *ἀποδεῖξαι τὰ ἀρχεῖα* esse „magistratus creare“ recte monet Dittenbergerus. cf. tituli Smyrnaei infra enarrati v. 77. Polyb. 4, 35, 9, ubi *τὸ τῶν ἐφόρων ἀρχεῖον* est collegium ephororum. CIA II. 332 v. 45. Dionys. Hal. A. R. 9, 37 (p. 1846).

uoluerit, difficillima quaestio est. Quod enim Coi sexaginta tribus annis ante et ipsi synoecismo coniuncti erant[1], hanc solam causam eius rei uix fuisse censeam. Certe Coorum populus Antigono maxime fauisse uidetur, siquidem hic intellegendus est in titulo Coo[2] quo corona Antigono data commemoratur[3]. Itaque si coniecturae hic locus sit, cum Antigonus populares partes in ciuitatibus Graecis maxime adiuuisse uideatur, has Coi floruisse suspicer. Nam plebi Teiorum quoque rerum publicarum potestatem facere regi uolenti fuisse uidetur.

Synoecismo autem tolli solitas esse ciuitates quae antea erant, ita ut sublatis magistratibus et institutis publicis ex earum ciuibus prorsus noua ciuitas et potestates nouae constituerentur, supra uidimus adlatis Thucydidis et Herodoti testimoniis. Neque aliter factum esse uidetur in Rhodiorum et Megalopolitarum synoecismis instituendis. Ephesiorum autem ciuitatem simul cum synoecismo instituto Lysimachum ad sua commoda denuo constituisse, infra ubi de Ephesiorum synoecismo accuratius mihi erit exponendum uidebimus. Hoc loco id tantum moneam, Lysimachum ad popularem potestatem (cum plebs Demetrio Antigoni filio maxime faueret) tollendam illa occasione usum esse. Similiter hic Antigonus id quod in synoecismis instituendis moris erat, ad persequenda commoda sua usurpasse uidetur.

Leges enim eas tantum quae ad ius priuatum pertinerent sublatas, formam rei publicae Teiorum seruatam esse caue censeas. Immo magistratus nouos e Coorum legibus institui rex iubet. Cum igitur magistratus omnes abrogati, instituta publica sublata essent, eis qui leges nouas conscribebant, ciuitatem quo modo uellent, constituendi potestas facta est. Memineris autem praeter nomographos illos qui iure iurando obstringuntur, ne quid contra ciuitatis commoda rogent, unicuique ciui legum quas uelit ferendarum hoc loco potestatem

---

[1] Diodor. XV 76, 2. Strabo XIV p. 657.

[2] Newton, Inscr. Gr. Mus. Brit. CCXLVII p. 63.

[3] Cf. etiam Usener Rh. M. 29, 39 et Diod. 19, 75 illic citatum cum eis quae infra exposui p. 50 sqq.

fieri, ita ut de his legibus priuatorum necessario suffragia fiant. Quae res et per se ipsa satis turbulenta et ad plebis potestatem augendam apta esse uidetur, idque eo magis cum quid alias in legibus ferendis moris fuerit Graecis respexeris. Athenis enim quamquam singuli ciues nequaquam legum ferendarum expertes erant, nisi extraordinariae causae incidebant, de eis tantum rebus semel quotannis leges ferre unicuique licuisse constat de quibus populus iussisset, neque de his quidem nisi ita, ut a senatu et iudicio iuratorum leges examinarentur defensoribus pristinarum legum publice institutis, et ut periculum accusationis quae *παρανόμων* dicebatur, legum rogatores per annuum spatium praestarent. Anno autem a. C. n. 403 cum auctore Tisameno leges retractari populus iussisset, decemuiri instituti sunt[1] qui, ita ut hoc loco sexuiri, nouarum legum ferendarum cura onerarentur. Leges autem quas tulerunt, non ut hoc loco a comitiis sed a senatu et iudicibus examinatae sunt, neque si quid priuati rogassent, de his legibus utique suffragia fiebant, sed senatui potestas data est, quas harum legum comprobasset, ad nomothetas ferendi. Atque eodem modo tributa sociorum (quae ut leges tractabantur) saeculo a. C. quinto recensa esse docuit Koehlerus[2]. — Contra si cum his quae adtuli, ea compares quae Thucydides (VIII 67) anno 411 in quadringentorum dominatione instituenda facta esse refert, et ab Atheniensium moribus haec prorsus abhorrere intelleges, et similitudinem quandam intercedere inter res a Thucydide narratas et eas quae nostro loco statuuntur. Athenis enim *συγγραφῆς* ad leges nouas dandas publice constituti cum ipsi eam legem qua res publica funditus peruerteretur, ferre non auderent, nihil nisi unicuique ciuium cuiusuis legis ferendae impunitatem rogauerunt. Qua re ex uniuscuiusque seruili procacitate instrumentum aptum ad res prorsus nouandas optimates sibi parabant. Hoc igitur interest inter nostram et illam causam,

[1] Andoc. 1, 83. *οἱ δέκα ᾑρημένοι* pro *οἱ δὲ ᾑρημένοι* proposuit Sluiterus adsentientibus Koehlero (loco infra not. 2 citato) et R. Schoellio (Comment. in hon. Mommseni p. 467).

[2] Urk. u. Unters. z. Gesch. d. del. att. Bundes p. 66.

quod ea quae illic optimatium dolo instituta sunt, cum animi ciuium anxii a re populari auerterentur, ea hic ad potestatem rei publicae popularibus Antigono obnoxiis tribuendam instituuntur additis diserte minis poenarum, si quis aduersus regis commoda quid rogasset.

Denique monendum est legatos quos tribus diebus Coum Teii mittere iubentur, non statim profectos esse; cuius rei quae fuerit causa infra uidendum erit (p. 49).

§ 9.

Huic paragrapho similia sunt quae in Stiriorum et Medeoniorum pacto[1] constituuntur v. 34 sq.: *Μὴ ἔστω δὲ ἐπάναγκες λειτουργεῖν τοὺς Μεδεωνίους ἐν Στίρι τὰς ἀρχὰς ὅσοι γεγένηνται ἐν Μεδεῶνι ἄρχοντες, ξενοδίκαι, πρακτῆρες, δαμιουργοί, ἱερεῖς, ἱεράρχαι, καὶ τᾶν γυναικῶν ὅσαι ἱερητεύκατι, εἰ μή τις ἑκὼν ὑπομένοι· ἱστάνθων δὲ ἐκ τῶν ἀλειτουργήτων τῶν Μεδεωνίων καὶ ἐκ τῶν Στιρίων.*

Hoc loco duo sunt genera hominum qui muneribus publicis liberantur. Cum enim certus ordo quo locupletes in utraque ciuitate muneribus fungebantur, synoecismo instituto perturbatus esset, rex ne ei qui munere aliquo in altera ciuitate functi essent, nouo ordine constituto iterum eodem onerarentur, cauendum statuit. — Tum Lebedii dum domorum exstruendarum onere premerentur, omnibus muneribus se excipi postulauerunt. Quod in tres annos eis conceditur. — Regem utrum urbs Teiorum permaneret, an tota uel partim destrueretur, Teiorum arbitrio permisisse supra monuimus (p. 24). Qua re hoc loco, si omnes Teii in pristinis maneant domibus, Lebedios tantum liberandos esse censet, sin etiam Teiorum pars sedes mutare cogatur, etiam hos qui in eadem atque illi condicione sint, eadem immunitate frui iubet.

Quae sequuntur Waddingtonus ita suppleuit: *καὶ ἕως ἂν ἦι οἰκία, μὴ μεθαιρῶνται τούτους λητουργεῖν*, hac usus interpretatione: „ils seront exemptés pendant le même temps et jusqu'à ce qu'ils aient de maisons.“ Verba *μὴ μεθαιρῶνται*

[1] Vide infra partem IV.

τούτους λητουργεῖν igitur eodem sensu intellexit quo *καὶ τούτους ἀτελεῖς εἶναι*. Quod suo quidem iure Dittenbergerus spreuit, uerum quod ipse suppleuit: *ὅσοι δ' ἂν τὰ ἐποίκια μὴ μεθαιρῶνται, τούτους λητουργεῖν* : *ἐποίκια* nullo modo stare potest. Nam non de casis sed de domibus destruendis agitur. Domus urbanae autem numquam sunt *ἐποίκια* [1]. — Sententia quid postulet, apparet: ei enim muneribus fungi iubentur qui domorum exstruendarum cura non onerentur, cum in ea urbis parte habitent quae permansura sit. Qua re aut *τὰ οἰκία* scribendum esse apparet, aut litteram *ι* lapicidae errore omissam esse. Cum autem *οἰκίον* in titulo nostro nusquam, *ἡ οἰκία* saepe inueniatur, neque cur hoc ipso loco deminutiuo rex usus sit, cogitari possit, illud statuere ausus non sum.

Haeremus autem in uoce *μεθαιρῶνται*, quae praeter Odysseae VIII 376 in litteris Graecis legi non uidetur, ubi *ὁ δ' ἀπὸ χθονὸς ὑψόσ' ἀερθεὶς Ῥηϊδίως μεθέλεσκε* (*τὴν σφαῖραν*) est: pilum excipiebat. Dittenbergerus nostro loco idem fere quod *μεταβάλλειν, ἀλλάττειν* esse censet – quod probari potest — „nisi quod eligendi notio, huic loco aptissima, in uerbo insit.“ Quae mihi quidem huic loco minime apta esse uidetur, quoniam non singulis ciuibus, sed ciuitati rex permisit, urbisne pars destrueretur necne. Nisi igitur errori debetur uerbum satis insolitum, de alia re dictum esse non potest, atque de domibus destruendis ut alio loco exstruerentur. Quare *καθαιρῶνται* scribendum esse conicias.

Ad uocem *χερσόννησον* Hicksius haec adnotauit: „This Chersonnese is the large peninsula in which Erythrae stands“, citato Strabonis loco (XIV p. 644), quo teste eius isthmi qui paeninsulam Erythraeam cum terra continenti coniungit, Teii partem meridionalen possidebant. Sed iure mireris regem eo tempore, quo summo opere Teiorum urbem incolis frequentare studebat, de transducendis Teiis in paeninsulam Erythraeam

[1] Cf. Boeckh ad CIG 1730 (I p. 849): „*ἐποίκιον* hic ut alibi est casa ad fontem exstructa“. Casae in agris exstructae, scil: bubile, horreum, meta, *ἐποίκια* dicuntur in tabula Heracleensi I v. 146 (cf. v. 139 sq.), Le Bas, Asie min. 415 in titulo Mylasensi. Similiter uox usurpatur in schol. Apoll. Rhod. 2, 160 et apud Suidam s. v. al. (Villas esse *ἐποίκια* in libro Iosuae 18, 24 et in Basil. 19, 8, 7 al. legitur in Stephani Thesauro).

cogitasse. Neque in titulo ipso de tali re quicquam legimus. Immo quin de eadem re quam § 2 rex significauerat, hic uerba fiant, dubium esse non potest. Qua re Waddingtonum uerum uidisse suspicor, qui ad § 2 ubi de destruenda urbe Teiorum rex dicit, haec adnotauit: „C'était peut-être pour la rebâtir plus près de la mer, à l'endroit appelé Chersonnesos (voy. l. 71)". Qua re cum haud ita longe a Teiorum urbe pristina illam χερσόννησον quaerendam esse appareat, eam paeninsulam intellegendam esse iudico quae ante ipsam urbem antiquissimam occidentem uersus sita est, in qua etiam nunc ruinae plurimae inueniuntur [1], quare in illa urbem Teiorum sitam fuisse ei fere consentiunt qui nostris temporibus illos locos uiserunt [2]. At, dixerit quispiam, si in ea paeninsula erat urbs, quomodo de transferendis in eam sedibus Teiorum rex dicere potuit? Sed multum abesse, ut hoc nostrae opinioni repugnet, concedas, si quae sint illa aedificia quae in paeninsula inuenta sunt requisiueris. In quibus certius aliquid de templo Bacchi et de theatro solis constat. Ceterae ruinae quales sint et cuius aetatis mihi non innotuit. De theatro unum Hamiltonum [3] adferam, qui expressis uerbis dicit: „To judge from the parallelism of the walls which form the wings of the cavea, the theatre was probably of Roman construction". De templo Bacchi scripserunt Leakius [4] et pluribus uerbis Hirschfeldus (p. 28 sq.), qui suo iure cum artificibus Bacchicis et asylo Teio hanc aedem coniunxit, quod anno a. Chr. 193 a Romanis confirmatum est. De Hermogene qui aedem illam exstruxit, Hirschfeldus quaestione instituta eo peruenit, ut statueret eum certe ante saeculi alterius partem dimidiam, sed post medium tertium fuisse. De tempore hoc titulo

---

[1] Cf. mappam Britannicam maritimam (edited by the hydrographic office of the Admirality) n. 1893 „Sighajik Bay," et G. Hirschfeldi commentariolum de Teo urbe in Diario archaeologico 1876 p. 23—30, tabella instructum.

[2] Hamilton, Researches in Asia Minor II p. 12. cf. p. 11. Hirschfeld p. 27. Etiam in mappa Britannica in hac paeninsula adscriptum est „Ruins of Teos".

[3] l. c. p. 13.

[4] Journal of a tour in Asia Minor p. 350.

superiore nemo quantum uideo cogitauit. Itaque probari potest ea aedificia, quorum ruinae in ipsa paeninsula inueniuntur, post hunc synoecismum exstructa esse. Ab his autem orientem uersus et cis et trans eum riuum qui in portum Teium effunditur, alias ruinas se inuestigasse testatur Hamiltonus, quae an aetate illas superent nescio. Dorico genere unum eorum templorum exstructum fuisse refert. Vel ultra hunc locum in planitie ea quae nunc hieme palustris esse solet, substructio inuenta est pedum 140 et 160, ut Hamiltonus dicit, ut Hirschfeldus totidem passuum, quam quod Hirschfeldus sepulcri fuisse dicit miror. Nisi rex regum aliquis illic iacebat, cui tanti ambitus sepulcrum Teios erexisse putes, cum templum Bacchi pedes 64 latum fuisse Leakius computauerit? Atque etiam statuas ibidem inuentas esse testis est Hamiltonus, quas iudicat esse magistratuum muneribus publicis bene functorum. Sed quaecumque sunt, olim Teiorum urbem non eo muro orientem uersus finitam fuisse cuius reliquiae citra eum quem supra commemoraui riuum supersunt, ex eis quae adtuli satis apparet. Ille murus, multis (teste Hamiltono) angulis et propugnaculis munitus, mediine aeui sit, ei quibus reliquias illas oculis inspicere contigit, diiudicent. Tantum satis erit dixisse, Teum urbem antiquis temporibus uideri magis ad orientem uersus sitam fuisse, hoc ipsum Antigoni regis edictum fortasse causam praebuisse, ut inde ab hoc tempore eae quae additae sunt nouae partes, in paeninsula exstruerentur, quae altiore ideoque salubriore fortasse situ fruitur[1].

§ 10.

Teii cum haud ita multum frumenti exarauisse uideantur (v. 78), Lebedii autem agros colere proximis tribus annis fere non possent, Lebediorum maxime intererat, amplam frumenti copiam ipsa in urbe praesto esse, ne a pretiis forensibus cuiusque mensis penderent, quae antiquis etiam minus quam nostris temporibus sibi constare consueuisse propter commercia

---

[1] Contrariam quidem de hac re sententiam nouissime dixit G. Hirschfeld in Histor. u. philol. Aufsätze, E. Curtius gewidmet. Berol. 1884. p. 364, qui tamen de huius tituli interpretatione nihil addit.

multo minus perfecta conicias. Qua re haud mirum est Lebedios petiuisse, ut impensis publicis annona per illud tempus curaretur. Horrea igitur ut sint in urbe postulant: ita recte interpretatus est Hicksius uerba *σίτου παράθεσιν*, collato Polyb. II 15,3. III 17,11. Quae res ita erat efficienda, ut pecunia quaedam ex aerario ciuitatis mercatoribus aliquibus mutua daretur ea condicione, ut frumenti copiam quam maximam importarent. Numerus aureorum quem ad hanc rem Lebedii postulauerunt, partim deperiit. Waddingtonus v. 73 *τετρακοσίους καὶ δισχιλίους* restituit, v. 94 autem *χιλίους*. Sed rex cum Teii nimium postulasse uideantur (v. 79), Lebediis potius adstipulatur (v. 93), ne tanta quantam Teii poposcerant pecunia in discrimen commissa, ciuitas aere alieno obruatur. Qua re v. 73 *τετρακοσίους καὶ χιλίους*, v. 94 *χιλίους καὶ τετρακοσίους* scripsi.

Illa pecunia pignore obliganda et intra anni spatium reponenda erat. Quanto autem fenore esset collocanda, Teiorum arbitrio permittitur (v. 76). Anno circumacto rem esse repetendam quamquam non pronuntiatur, tamen probari potest, cum tres anni ad synoecismum conficiendum constituti sint. Stateres aureos Philippeos si, quod Hultschius commendat (Metrologia Graecorum et Romanorum[2] p. 240. cf. p. 248), = 20 M. facias, tota summa quae ad hanc rem decernitur est M. 28 000. Ex eis quae Boeckhius contulit testimoniis (Oec. publ. Ath. I[2] p. 132 sqq.), efficitur quattuor drachmas Atticas eo de quo agitur tempore pro uno modio Attico tritici satis paruum, pro modio hordei satis magnum pretium fuisse; a singulis autem hominibus singulis diebus consumi frumenti partem quadragesimam et octauam modii, ueteres plerumque aestimasse. Ergo si et hordei et tritici copiae importabantur, circiter 1100—1200 hominibus in unum annum hac pecunia frumenta procurari poterant, sin bis terue uno anno eadem pecunia frumenta emi potuisse sumas, ad duo uel tria fere milia hominum peruenies. Sed multo plures fuisse, qui Lebedo Teum transmigraturi essent, censeam. Memineris autem non tam ad conficiendam prorsus rem frumentariam hanc pecuniam decretam esse, quam ut ei

qui frumenta importabant adiuuarentur, eaque re frugum pretia leuarentur.

Teii legati, cum illa summa exigua esse eis uideretur, ut plus concederetur postulauerunt. Quod cum Waddingtonus non intellexisset, suppleuit: *ἐπειδὴ ὁ συνοικισμὸς συντελεῖται καὶ πάντες γίνεσθε κτλ.* hac usus interpretatione: „De leur côté les députés de Téos sont d'avis d'ajourner ces mesures jusqu'à ce que l'amalgamation des deux communautés soit complète.“ Mire, nam scribendum esset: *ἐπειδὰν συντελεσθῇ καὶ γένησθε. γίνεσθε* autem in lapide est. Teii enim suae sententiae causam adferunt hanc: subito unum in locum conuenire insolitum numerum hominum, qui sedibus parandis occupati, quaestum facere non possent. Non igitur „cum conficiatur (*συντελεῖται*) synoecismus sed „cum comparetur“ erat dicendum[1].

Antigonus autem cui haec minus placebant, pluribus uerbis exponit, qua re neque quod in uniuersum illam rem Lebedii statuendam esse censuerant[2], neque quod Teii maiorem summam poposcerant, concedendum sibi uideatur. Haec tituli pars cum a Dittenbergero ut breuissime ita probabilissime restituta et explicata sit, eius fere supplementa et interpretamenta secutus sum. Hoc enim rex dicit: Se neque antea ciuitatibus Graecis concessisse, ut publicis impensis peregre frumenta importarent, neque tunc hoc sibi uolenti esse. *Σιτηγήσια* de nauibus frumentariis intellexit Waddingtonus („navires pour le transport de blé“). In lexicis hoc uocabulum deest. Ego potius de iure ciuitatium publice rem frumentariam curandi illud interpreter. Priuatos enim frumenta importare rex uetare uix poterat. Ciuitates autem in hanc rem pecuniam impendere nolebat, ne iacturas facerent. Timebat enim ne, si pecuniam mutuam dedissent ciuitates,

[1] *κατασκευάζειν πόλιν* (instituere rem publicam) legitur in Platonis Rep. VII p. 557 d. Diod. XII, 81,2: *προσέταξαν συγκατασκευάσαι τοῖς Ἀργείοις τὰ κατὰ τὴν πολιτείαν.* Strabo. IV p. 186: *τὴν Οὐίενναν — κώμην πρότερον οὖσαν, μητρόπολιν δ' ὅμως τοῦ ἔθνους λεγομένην, κατεσκευάκασι πόλιν* Plato *ἱερὰ θυσίας τε κατασκευάζειν* Critiae p. 113 b.; per iocum *συνέδριον κατασκευάζειν* id. Protag. p. 317 d. cf. nostri tituli v. 13.

[2] Versus 76 supplemento sententiae suffecisse mihi uideor, quamquam uerba *ὧν ἀξιούντων* neque lacunae spatio neque dictioni apta sunt.

debitores temerariis negotiationibus eam perderent. Quapropter e terra barbara potius procul sita, ubi satis frumenti exaretur, unumquemque quantum opus ipsi sit, arcessere iubet. Haec certe de Hermi ualle sunt intellegenda, ubi planities ad frumenta gignenda aptas esse constat. „Ex decimis agricolarum ibi frumentum multum in horrea regia collatum esse“, censet Dittenbergerus, quae tamen coniectura factis fulcitur nullis. Eodem ea refert quae sequuntur: *ἐσπουδάζομεν δὲ ὑπὲρ τούτων κτλ.*: eo consilio se horrea illa comparasse, ut Graecos adiuuaret, Antigonum facit dicentem. At posse haec aliter intellegi statim exponam. Certe in ea re haud dubito adstipulari uiro doctissimo, quod tributa Antigonum a barbaris, non a Graecis exegisse statuit. Quod enim Waddingtonus in v. 83 suppleuerat: *πλησίον οὔσης τῆς φορολογουμένης νεώς*, id Dittenbergerus eo refellit, tributum colligere esse *φορολογεῖν*, *φορολογεῖσθαι* dici de eis a quibus tributa exigantur. Medium autem genus de naue tributaria usurpari uix potest. Ceterum exstat titulus Erythraeus litteras Antiochi II ad ciuitatem Erythraeorum datas continens, ex quo eadem immunitate quam Alexander eis concesserat, etiam Antigono regnante fructas esse Graecas ciuitates apparere uidetur[1].

Ex terra tributaria Graecos frumenta importare fortasse ideo quoque rex cupiebat, ut uim tributa ferendi illius terrae augeret. Qua cum re illud opinor bene conuenit, quod in proxima paragrapho exportationem frumentorum adiuuare studet. Exactus enim frumentorum barbaris illius terrae procurare uolebat. Quam rem in litteris ad Teios datis expositam non esse, non miror, neque Dittenbergeri coniectura quam supra significaui, ad explicanda regis uerba opus esse iudico. Immo Antigonus nimirum affirmat, eo tantum consilio, ut ciuitatibus prouideret, negotiis nummariis eas implicari se uetasse (v. 85—88). Quamquam enim in ceteris rebus quam maximam libertatem Graecis dare sibi proposuerit, hoc sibi curandum esse, ut aere alieno, quod contraxerint, liberentur. (Hic cum sententiarum nexus sit, *γὰρ* pro *οὖν* v. 88 restituendum esse censui). Tamen illo tempore cum necessitatis

[1] Dittenb. Syll. 166. cf. Arrian. Anab. I 17,10. 18,2 cum 17,1.

rationem habendam esse uideret (v. 90. 91) — periculum enim erat, ne insolita hominum multitudine coacta, inopia et fames oreretur — id quod minime probabat, concedere rex coactus est. Haec sine dubio causa est, quod pluribus uerbis et minus plane haec paragraphus, quam ceterae, scripta est. Ceterum Lebediis rex potius adstipulatur quam Teiis, quo minor pecunia in periculum detur, uel quo minus frumenti peregre importetur.

§ 11.

Huius paragraphi quamquam non omnes difficultates se absoluisse Waddingtonus ipse profitetur, in uniuersum tamen uerum uidisse uirum doctissimum iudico, cum diceret: „Toutefois il me semble que la clause a pour but d'affranchir l'exportation de certaines formalités, telles que l'obligation d'apporter au marché et d'y exposer ou d'y faire visiter les denrées qu' on voulait exporter.“ Quod autem priorem huius paragraphi partem ita interpretatus est: „Toute importation et toute exportation devra être déclarée au bureau du marché, et ainsi les gens à qui il ne convient pas d'exporter directement du marché, pourront exporter de chex eux en acquittant les droits conformément à leur declarations“: in hoc errasse mihi uidetur. Multo autem minus Hicksio res successisse uidetur, qui hoc modo uerba interpretatus est: „The custom-house is to be placed near the harbour, so that importers need not be obliged to bring their goods into the town, but might export them again at once, if they heard the market was bad. Probably the market was at a little distance from the harbour, and the custom-house is to be as near the harbour as possible“. Male tali instituto Teii suis commodis consuluissent. Neque de qua quidem re agatur, uidit uir doctissimus. — Prae ceteris autem hoc statuendum mihi uidetur, de frumentis tota hac paragrapho agi, quippe de quibus et in superiore paragrapho uerba fiant, et quae in altera huius paragraphi parte exstent: „ὅσαι δ' ἂν κῶμαι ἢ ἐπαύλια ὦσιν κτλ.“, his quoque uerbis de alia re quam de frumentis dictum non esse appareat. Qua re in initio restituendum esse uidetur: *Τῶν δὲ σίτων.* Ac

ne id quidem dubium est, quin de exportandis frumentis agatur. Quorum duo discernuntur genera: et ea quae peregre importantur, et ea quae in finibus Teiorum exarantur. Utriusque generis frumenta quae sint exportanda, ad magistratus referri iubetur. Haec diserte habes in uerbis ἀποδειχθῆνα[ι v. 95. et ἐπαγγείλαν[τα v. 100. Neque magis dubitari potest, quin cum uectigalibus quibusdam soluendis haec coniungantur. Tamen hoc cogitari non potest, exportari ullas res de quibus portoria soluenda sint, quae tamen a custodia portitoris excipiantur. Quod si enim dicitur: ἐάν τισι μὴ λυσιτελῆι κατάγουσιν εἰς τὴν ἀ[γοράν—ποιεῖσ]θαι τὴν ἐξαγωγήν, inde diserte apparet, non de portorio soluendo, ut Hicksius („custom house") et Waddingtonus (qui v. 100 suppleuit τελώνηι), iudicasse uidentur, sed de uectigalibus rerum in foro Teio uenditarum uerba fieri. Neque quae sint illa frumenta quae in forum adferri commodum non uideatur, dubitari potest: ea nimirum frumenta peregre importata quae in foro Teio emuntur, non ut in urbe consumantur, sed ut rursus exportentur. Haec igitur nauibus exponendi et in forum adferendi impendia euitari poterant. Harum mercium exempla eo adferre solent mercatores ubi omnia negotia fiunt. Quapropter haud male restituisse mihi uidetur Waddingtonus v. 95: ἐν τῆι στοᾶι τῆς ἀγορᾶς. Ibi enim sub custodia aedilium frumenta ueneunt. Quam ad rem ut ipsae merces adsint, necesse non est, attamen quantum ueneat, publica cura proscribendum est, ut uectigalia forensia inde exigere aedilis possit. Itaque reiciendum est quod Waddingtonus dicit „exporter de chez eux". Immo sub custodia publica nimirum in portu sunt frumenta illa quae mercatores exponere nolunt. Quae si domum adtulisse mercatores cum Waddingtono fingas, totam rem funditus peruertas. — Item sub custodia aedilium ea exportabantur quae in agris Teiorum exarata peregre uenibant. Sed ne in forum ea adferre cogantur rustici, altera huius paragraphi parte cauetur. Ceterum in uersu 98 male Waddingtonus restituit: ἔξω τῶν τῆς πόλεως ὅρων; nam quae extra fines Teiorum sunt, ea hic non curantur.

Itaque haec ratio intercedere mihi uidetur inter hanc atque superiorem paragraphum: illa praesenti tempori, hac

mercaturae Teiorum in futurum consulitur. Publicis enim impensis importari frumenta peregrina regi uolenti non erat, quoniam suis terris incommoda inde ne fierent timebat: Qua re illud non in uniuersum, sed eo tantum tempore quo synoecismus compararetur, ut fieret concessit. Multum tamen abest, ut commercia ciuium imminuere uelit. Neque priuatos frumenta peregre importare uetat. Maxime autem exportari frumenti quam plurimum posset, cupiebat. Quo et commercia Teiorum augebantur, et barbaris finitimis, qui in regis potestate erant et tributa ei soluebant, exactus frumentorum praebebatur. Qua re remissis omnibus oneribus quae remitti possunt, adiuuare eos studet qui frumenta exportaturi sunt. Simul fortasse uectigalia curabat, quae ut Iasi regis nomine exacta esse Boeckhius censuit (CIG 2673), ita fieri potuit, ut in portu Teiorum ab Antigono exigerentur.

§ 12.

Praeter ea quae superioribus paragraphis fieri iubentur, si quibus opus sit constituendis ad synoecismum perficiendum, Teii et Lebedii postulant, ut ea constituantur a sex uiris, quorum terni ab utraque ciuitate eligantur (ut supra in § 8). Quod cum regi concedendum uideatur, sex uiros intra triginta dierum spatium creari iubet: hi quae communi consilio statuerint, si ab utraque ciuitate approbentur, rata esse, si quid eorum inter Teios et Lebedios minus conueniret, ad se referri.

DE EDICTO ALTERO.

Alterum edictum qua occasione non multo post prius editum sit, supra significaui (p. 17). Cum enim rex in superiore edicto (§ 12) tribus mensibus iterum legatos ad se mitti iubeat, in altero (§ 13) legati ad regem uenisse dicantur, hos suspicor de eis rebus apud Antigonum uerba fecisse de quibus ut ad se referretur rex statuerat, scilicet de quibus inter Teios et Lebedios conuenire non poterat.

§ 13.

Primum quidem legati cum rege disseruerunt de pretiis domorum Lebediis soluendis quas hi relinquere cogebantur (cf. p. 19. 22). Qua de re etiam antea se deliberasse Antigonus refert. Pecunia enim quam Teii expedire poterant, parua erat, cum pecuniae ordinariae eorum certis tantum temporibus redirent. Hoc illud est quod exprimitur uerbis *τὰ ἐκ τῶν προσόδων γινόμενα κατὰ χρόνους προσπορεύεσθαι*, quae uerba de redeuntibus, non de expensis pecuniis intellegenda esse iure monet Dittenbergerus, cum Waddingtonus suppleuerit: *εἰς ἄλλα*, hac usus interpretatione: „parce que tous vos revenues avaient d'autres destinations". Immo quoniam statim sumptus satis magni desiderabantur, reditus ordinarii maioribus interuallis redibant, his ad illos procurandos Teii uti non poterant. Huic tamen sententiae ne id quidem quod Dittenbergerus dubitanter suppleuit, *διαφόρους*, sufficere uidetur. Certis enim temporibus saltem Teios reditus suos exspectare potuisse, nisi res eorum prorsus perturbatae erant, sumas. Itaque *κατὰ χρόνους — μακροτέρους* potius suppleui.

Quae cum ita essent, Antigonus legatos, qui de ea re ad eum rettulerunt, iussit sententiam dicere, unde pecuniae extraordinariae comparari possent. Atque illi responderunt unam tantum uiam qua id effici posset, relictam esse, quam rex satis obscuris significat uerbis *τὰ περὶ τὰ τέλη*. Quam obscuritatem inde ortam esse iudico, quod legati non nisi ciuitatis iussu locuti sint, ita ut Teiis explicatione nullo modo opus esset. Nos quidem quid sibi uelint illa uerba decernere non possemus, nisi Antigonus huic consilio adsensus esse uideretur. *Τέλη* enim plerumque quidem uectigalia sunt, de quibus tamen hoc loco cogitari non potest, cum ea in redituum ordinariorum numero certe fuerint, quos ad eam de qua agitur rem non sufficere rex exponit. *Τέλη* autem interdum etiam alii reditus publici dicuntur[1]. Quae cum ita sint, etiam

---

[1] Ut apud Demosthenem (or. 20, 19 p. 462): *οἱ μὲν τοίνυν πλουσιώτατοι τριηραρχοῦντες ἀεὶ τῶν χορηγιῶν ἀτελεῖς ὑπάρχουσιν, οἱ δ' ἐλάττω τῶν ἱκανῶν κεκτημένοι, τὴν ἀναγκαίαν ἀτέλειαν ἔχοντες, ἔξω τοῦ τέλους εἰσὶ τούτου.* Antiph. 5,77 (p. 138) *οὐκ ἔστιν — οὐδ' ἥστινος λειτουργίας ἡ πόλις ἐνδεὴς*

nostro loco de tributis (*εἰσφορᾷ*) uerbum *τέλος* usurpatum esse, Antigonus autem in eis quae sequuntur, non nouam uiam monstrasse, sed legatorum consilio adstipulatus esse uidetur. De quo postquam accuratius una cum illis deliberauit, hoc ni fallor praecipit: cum antea non nisi ditissimi ciuium Teiorum tributa ante tempora legitima soluerint, si quid ciuitati sumptibus extraordinariis opus esset: ut nunc non solum illi sed omnes ciues locupletes, qui sint sexcenti, e censu statim tributi loco tantam pecuniam soluant, ut quarta pars pretiorum ilico Lebediis dissolui possit.

Ut autem Lebediis simul stimulum admoueat, quo magis domos exstruere maturent, ut qui primi materiam coemerint, ita primis pretia solui rex iubet.

§ 14.

Ut quarta pars pretiorum Lebediis statim soluatur, priore paragrapho statuitur. Cetera unde procuranda essent, indidem nimirum unde illa, dici opus non erat; hoc autem praetermitti uix poterat, intra quod tempus ceterae tres partes soluerentur. Qua re cum Waddingtono fere in initio huius paragraphi suppleui: *τῶν δὲ τιμῶν ἔτους διεστῶτος πασῶν συντασσομένων*. *ἔτους* scripsi, ne lacunam relinquerem, quamquam quid in lapide fuerit, diiudicari non potest. In uno nimirum offendimur, hanc rem genetiuo absoluto ad ea quae sequuntur adnexam esse, quibuscum minus arte cohaeret. Cui tamen difficultati mederi nescio.

Secundo loco de legatis mittendis, et de eis qui aestimatores domorum Lebediarum et de eis qui leges e Coorum ciuitate arcessituri essent, Teii et Lebedii apud regem uerba

---

γεγένηται, οὔτε ἡ ὑμετέρα οὔτε ἡ Μιτυληναίων, ἀλλὰ καὶ χορηγίας ἐχορήγει καὶ τέλη κατετίθει, ubi de tributis potius quam de uectigalibus portitori solutis uocem accipias, siquidem etiam in Dinarchi or. 2 (p. 107) § 17 uerba *εἰ τὰ τέλη τελεῖ* diserte respondent his quae paullo post leguntur in § 18: *τῶν δ' ἄλλων Ἀθηναίων εἰσφερόντων ἐκ τῶν ἰδίων, οὗτος οὐδὲ τῶν δημοσίων καὶ ὧν ὦφλε τὸ ἀργύριον ἅπαν ἐκτέτικεν*. Cf. Aristot Polit. 5, 11: *ἡ εἰσφορὰ τῶν τελῶν*. Etiam Pollux (9, 31) ad uerbum *τέλος* inter alia adscripsit *εἰσενεγκεῖν*.

fecisse uidentur. Eorum alteros rex priore edicto iusserat tribus diebus Coum proficisci (v. 62 sq.). Itaque cum eo tempore quo hoc alterum edictum editum est, i. e. aliquot mensibus post, profecti nondum essent, etiam huius morae causam fuisse, quod inter Teios et Lebedios aliquid non conuenisset, conieceris, quamquam quid hoc fuerit, ex Antigoni uerbis effici non potest.

Iubet enim legatos illos, et quos ad aestimatores et quos ad leges arcessendas mitti oportebat, eligi ubi primum leges pristinae abrogatae sint. Hoc modo uidetur explicanda esse *ἀποψήφισις* illa, quae quid sibi uelit minime primo aspectu apparet, cum in priore edicto de ea uerba facta non sint. Nam *ἀποψηφίζειν* est suffragiis abrogare. Cum autem haec abrogatio cum legatis mittendis artissime coniungatur, ac uix cogitari possit, quo modo cohaereat cum aestimatoribus domorum arcessendis, apparet ad leges eam referendam esse. Itaque priusquam leges Coae arcesserentur, pristinas leges Teiorum abrogandas fuisse iudico. Quod autem suffragia de ea re ferebantur, dicis causa potius factum esse uidetur, cum Antigonus dubitationem nullam relinquat, utrum leges Coae arcessantur necne.

Sin quaeras cur haec abrogatio coniungatur cum legatis qui ad aestimatores arcessendos mittuntur, eius rei explicationem nullam uideo, nisi etiam aestimatores e Coorum ciuitate eligendi erant, quapropter utraque legatio ut una proficiscatur statuitur (cf. p. 19).

Denique ut statim eligantur uiri qui domos Lebediis secundum § 2 dandas quindecim diebus dinumerent, praecipitur. Quae res uidetur ita efficienda fuisse, ut una quaeque tribus parem domorum numerum Lebediis concederet: itaque si recte Waddingtonus uersum 126 restituit, uiri illi a singulis tribubus eligentur.

Hoc titulo optime illustrantur iuris et usus rationes quae intercedebant inter ciuitates Graecas et reges Asiae, praecipue Antigonum. Qui non regni solum Alexandri hereditatem sibi uindicabat, sed etiam quam ille in tractandis rebus publicis rationem secutus erat, eam diligentissime imitabatur, et maxime quidem quod ad ciuitates Graecas pertinebat. Alexander enim postquam Asia minore potitus est, ducis summi Graecorum ad bellum Persicum gerendum electi partes satis obseruauit, cum ciuitates Graecas sociorum liberorum et immunium nomine condonaret. Quae libertas nimirum qualis fuerit, unus quisque uidet. Neque enim fierentne socii regis Graecis permissum erat, neque Alexander ipse a domesticis ciuitatium rebus manus abstinebat: exsules enim suo arbitrio reduxit, quae res ansam etiam grauius se illis interponendi ei praebuit[1]. — Nec secus Antigonum Graecorum liberatoris nomen diligentissime iactasse, quo blandimento eos deuinciret et rebus suis adiungeret, cum aliunde constat, tum huius tituli § 10 illustratur. Quo modo autem intellegendum fuerit illud nomen speciosum, ex hoc titulo certius quam ex ullo alio fonte apparet.

Tributum quidem ciuitates Graecae Antigono non magis quam Alexandro tulisse uidentur (cf. p. 43) — nisi forte uectigalia in portubus earum exercebat (cf. p. 46) — quod idem fortasse Alexander fecerat. Quod quamquam ex hoc titulo non certo efficitur, quomodo res domesticas earum curauerit, iuris dictionem (§ 6. 7), rerum publicarum constitutiones et leges (§ 8), administrationem (§ 9. 11), res pecuniarias (§ 4. 10) et sacras (§ 1), singulis eius partibus docemur.

Quarum omnium grauissima res certe synoecismus ipse est, quo e duabus ciuitatibus, institutis earum fere omnibus sublatis, nouam ciuitatem suis auspiciis condidit. Neque in Teo et Lebedo solum hoc consilio usus est. Quamquam enim non tam frequens est memoria urbium quarum isto modo condendarum uel instaurandarum Antigonus per breue illud quo regnauit tempus auctor fuerit[2], quam a Seleucidis

---

[1] Cf. CIG 2166,23. 2671,44 sq.

[2] Cf. Droysen, Hellensim. III 2 p. 254 sqq.

et Ptolemaeis per longa dominationis saecula conditarum, tamen hac quoque in re Antigonus consulto Alexandri uestigia pressit.

Alexander enim ut Asiam superiorem oppidis munitis obseuerat et coercuerat, ita etiam ciuitates Graecas in Asia minore condere coeperat quae ipsi omnia deberent, ipsius nutui parerent, ipsius res fulcirent. Hoc certe consilium sectatus Iliensium res quam maxime augere instituit, uico qui antea fuerat, ciuitatis liberae ac foederatae iure donato et communi concilio ciuitatium Troadis cum panegyri Mineruae Iliadis constituto[1]. Atque huius concilii ciuitatiumque priuilegia Antigonus postea confirmasse uidetur[2]. Absoluta autem res quam Alexander incohauerat, a Lysimacho est, qui ciuitates uicinas synoecismo cum Iliensibus coniunxit. Lysimachus enim ipse ualde huic rerum gerendarum parti studebat[3], qui qua ratione in hac re usus est, ea etiam nostrum titulum aliquid lucis accipere opinor, cum ex hac ipsa diserte appareat, quo praecipue consilio omnia haec regum studia suscepta sint: nimirum ut terris suis ciuitates illas tamquam praesidia firma imponerent.

Etenim Lysimachus cum ora Asiae potiretur, synoecismos ab Antigono institutos partim sustulit, aliis in eorum locum substitutis, partim ita ampliauit, ut funditus permutatas ciuitates a conditoris partibus ad suas transduceret. Quod non fecisset, nisi Antigoni auctoritatem hoc modo infringi posse sperasset. In illarum numero erat Teos, in harum Smyrna, Alexandria-Troas, Antigonia-Nicaea. Nulla igitur urbe ab Antigono condita earum quae in potestatem suam peruenerunt, Lysimachus abstinuit. Praeter has quas com-

---

[1] Boeckh in lemmate CIG 3595 (II p. 878). Cf. Strabo XIII 593 et titulus Iliacus Dittenb. Syll. 125 cum Droyseni adnotationibus III 2, 386 sq. CIG 3597. 3601—3604. v. etiam Arrian. Anab. I 11, 7. — Errare autem mihi uidetur Dittenbergerus, qui hanc rem in dubitationem uocare conatus est contra luculentissimum Strabonis testimonium (in adnotatione ad Syll. Inscr. Gr. 81). Nam quos ille attulit Xenophontis locum (Hell. III 1, 16) et titulum Iliacum (Syll. 81), ex eis comparato Strabonis loco citato, uindicasse sibi Ilienses ciuitatis iura etiam medio IV fere saeculo, neque tamen obtinuisse colligam.

[2] Cf. eiusdem tituli (Dittenb. Syll. 125) v. 9. 25.

[3] Cf. Kuhn, Enstehung d. St. p. 335—359.

memoraui, Antigonum ad Orontem magnam urbem condidisse eique suum nomen imposuisse nemo nescit. Quae ad nostrum propositum minus pertinet, cum non synoecismo, sed colonis deductis eam ortam esse constet[1]. Quam urbem a Seleuco eodem consilio quod in Asia minore Lysimachus secutus est, dirutam et incolis priuatam esse, certioribus testimoniis fulcitur, quam ut cum Droyseno addubitare liceat[2]. Quod enim Dio ultimo a. Chr. saeculo illo loco oppidum fuisse commemorat, exiguae hae atque miserae reliquiae magnificae eius quam Antigonus condidit urbis facto illi minime repugnant.

Diodorus situm eius urbis ad rem militarem aptissimum fuisse demonstrat. Certe locus ille etiam mercaturae bene fauebat. Quas rationes Antigonum secutum esse etiam in ea Antigonia quae postea Alexandria Troas erat, condenda, probari potest. Haud longe enim ab Hellesponti exitu sita, prope Asiae et Europae confinium, his condicionibus et ipsa efflorescere poterat et conditoris rebus Thraciam uersus firmo munimento esse. Atque hanc urbem synoecismo conductis incolis conditam esse quos Antigonus sedes et ciuitates separatas relinquere coegerit, certissimis testimoniis constat. In oppidorum illo modo sublatorum numero certe Cebrene et Scepsis erant (Strabo XIII p. 597). Quae praeter has enumerantur, Larisa, Chrysa, Hamaxitus, Colonae, Neandria (ib. p. 604), num ab Antigono an a Lysimacho cum noua urbe coniunctae sint, nescimus. Hic Scepsiis, ut in sedes suas reuerterentur, permisit (p. 597. 607)[3]; quibus dimissis alios eum in synoecismum adhibuisse ueri simile est. Urbis nomen mutauit (p. 593), quo facilius memoria pristini conditoris exstincta, suis rebus ciuitas adiungeretur. Nam quod heroicis honoribus conditores in ciuitatibus Graecis colebantur, haud spernendum certe uinculum erat quo fidei regibus seruandae Graeci admonerentur.

Simili modo Lysimachus aliam Antigoniam tractauit, cui et ipsi nomen nouum induit: Nicaeae scilicet in Bithynia

---

[1] Cf. Malal. VIII p. 201 a Droyseno citatum III 2, 292.

[2] Droysen l. c. cf. locos ab ipso adlatos Diod. XX 47, 5. Malal. l. c. Cass. Dio. XL 29. Wesseling ad Diod. l. c.

[3] Cf. titulum Iliacum Dittenb. Syll. 158 v. 23—25 cum adnotatione.

sitae. Nomine huius urbis mutato etiam alia mutata esse, quamquam testes non exstant, conicere licet. Hanc quoque Antigonus condiderat[1], oppiduli loco, Graeci opinor, quippe cui Olbiae nomen esset. Quod utrum synoecismo an colonia deducta factum sit, non apparet. Certe haec urbs arte Hippodamea exstructa erat, ut Strabo testatur (XII p. 565.) Qua de urbe fortasse intellegenda sunt quae Stephanus Byz. s. v. *Ἀντιγόνεια* adfert: *τετάρτη Βιθυνίας πρὸς τῷ Δασκυλίῳ.*

Castellum cui idem erat nomen in Cyzicenorum finibus situm ad nos non attinet[2]. Memoria autem dignum est, etiam Smyrnam ab Antigono denuo conditam esse. Hanc circa annum a. C. 600 Alyattes rex Lydiae captam — ut refert Herodotus I 16 — diruisse uidetur: facere enim uix possumus, quin ad illam rem ab Herodoto traditam referamus quod Strabo narrat XIV 646: *Λυδῶν κατασπασάντων τὴν Σμύρναν περὶ τετρακόσια ἔτη διετέλησεν οἰκουμένη κωμηδόν. εἶτα ἀνήγειρεν αὐτὴν Ἀντίγονος καὶ μετὰ ταῦτα Λυσίμαχος.* Centum quidem annis in computandis his temporibus Strabo errauit (nisi pro Υ scribendum Τ[3]). Certe ex uerbis illis colligimus synoecismo hic Antigonum usum esse. Cum enim antea neque moenia neque ciuitatis iura Smyrnaei haberent, sed per uicos dispersi habitarent, ciuitatem Antigonus constituit, urbem denuo exstruxit, Hippodameo genere.

Atque facile cognoscimus, quare hunc potissimum locum Antigonus elegerit. Sita enim est Smyrna fere in exitu uallis Hermi, portuque insignis qui paeninsula praetenta a uentis tutus est. Hac condicione ad mercaturam satis apta est, qua etiam nunc eam florere constat. Atque quam recto iudicio Antigonus usus sit, cum speraret fore ut haec ciuitas celeriter effloresceret et auctoritatem firmitatemque nancisceretur, inde apparet, quod uix dimidio saeculo post Seleucidarum dominationi firmissimo munimento erat, quo tempore

[1] Cf. R. Rochette, Hist. crit. des colonies Grecques IV 124.

[2] Droysen l. c. p. 260.

[3] Cf. R. Rochette, Hist. des colonies grecques IV 121. Qui quod quorundam fabellas Alexandrum Smyrnam restituisse tradentium respuit, optimo iure fecisse mihi uidetur. Brandis, Münzwesen p. 330. Mylonas, De Smyrnaeorum rebus gestis. Gotting. 1866 p. 26 adn. 2; p. 30 sq.

non multum aberat, quin illa dominatio tota exstingueretur eis bellis quae Seleucus II cum Ptolemaeo Euergeta simul atque cum domesticis hostibus gerebat [1]. Huius urbis synoecismum, quem non minus quam Teiorum et Lebediorum Antigonus imperfectum reliquisse uidetur, Lysimachus excepit. Nam huius loci condicio aptior erat, quam ut synoecismum hunc quoque sicut Teium tolleret. Itaque laboris quem aduersarius incohauerat, fructum sibi uindicare malebat.

Quam ob rem cum Teiis aliter egerit, iam quaeramus. Dubium enim non est, quin Lysimachus prohibuerit, quominus hoc quod in manibus est, consilium Antigoni perficeretur. (v. p. 17 sq.). Atque in huius locum aliud substituit. Nam Lebediorum urbem nihilo secius sustulit, itemque Colophoniorum, utrosque Ephesum traduxit [2]. Nouae enim ciuitates quaecumque condebantur, fore ut eius rebus maxime fauerent, spes aliqua esse uidebatur, a quo conditae et ad conditoris commoda institutae essent. Qua re Lysimachi non intererat Teiorum ciuitatem Antigoni consilio augeri, nisi sicut Smyrnam, Alexandriam, Nicaeam, eam immutaret. Cui tamen rei aliam praetulit.

Ephesus enim urbs non solum ad dominationem maritimam obtinendam prae aliis opportuna uidebatur: quapropter hic classem Antigonus constituisse atque hanc potissimum ciuitatium Graecarum orae Asiae occidentalis praesidio, cui obsides Rhodios tradiderat, firmesse uidetur, ita ut nisi obsidione Prepelaus eam occupare non posset [3]. Quam ob rem hanc primam Demetrius autumno anni 302 recuperare studuit, atque huc post cladem Ipsensem confugit. Sed etiam Ephesiorum populum in eorum numero fuisse qui maxime omnium Demetrio fauerent, efficitur e titulis nonnullis Ephesi a Woodio inuentis, quorum hos adferam: a) Inscr. from the T. of Diana n. 8, quo gratulantur Ephesii Antigono et Demetrio, uictoria ut uidetur apud Cyprum nuperrime parta (306), et sollemnia quaedam ideo instituunt. b) ibidem n. 25 = Hicks, Gr. Hist. Inscr. 150, qui sagacissime ad res a Diodoro XX 107

[1] V. infra partem II.

[2] Paus. I 9, 7. VII 3, 4 sq.

[3] Diodor. XX 107, 4.

narratas hunc titulum pertinere coniecit. c) ibidem n. 7 = Hicks, Gr. Hist. Inscr. 151. Quo in titulo Demetrius et Seleucus reges cum ad ceteros Graecos tum ad Ephesios legatum misisse dicuntur, qui propter beneficia et regi et populo oblata ab Ephesiis ciuitate donatur. Quapropter ad annum 299 hunc titulum Hicksius sollerter rettulit, quo tempore Demetrius et Seleucus una in Syria degentes familiaritate utebantur. Neque dubito quin hic titulus re uera illo tempore scriptus sit, cum aliud tempus quo Demetrius et Seleucus una legatos ad Graecas ciuitates miserint, reperiri uix possit. Nam de eo tempore quo Demetrius captiuus apud Seleucum degebat (286—283 a. C.), cogitandum non uidetur. Quae cum ita essent, Ephesiorum ciuitatem, prae aliis Demetrio obnoxiam, Lysimachi maxime intererat funditus de nouo constituere et hoc modo suis rebus adnectere. Atque ad hanc potissimum rem perficiendam ea suscepta esse mihi uidentur quae Lysimachus de illa ciuitate facienda instituit.

Quibus de rebus quamquam saepius a uiris doctis disputatum est, facere non possum, quin hic aliqua repetam. Atque recte quidem pleraque de eis iudicasse uidetur E. Guhlius (in Ephesiacis. Berol. 1843. p. 58—61). — Deinde E. Curtius in Actis Acad. Reg. Berol. 1872. p. 1 sqq. (Beitraege zur Geschichte und Topographie Kleinasiens) praeter ea quae de aedibus sacris et profanis — sine dubio de Ephesiorum rebus cognoscendis insigniter meritus — docuit, sententiam dixit (p. 26. cf. p. 16 sq.), magistratibus ciuitatis potestatem rerum gerendarum, a Croeso olim ereptam, a Lysimacho demum plane restitutam esse. Interim his annis trecentis sacerdotes Dianae res ciuitatis fere solos moderatos esse. Vel cum Smyrnaeorum fortuna, qui per tot saecula in uicis habitantes omni uita ciuili carebant, Ephesiorum res comparat uir doctissimus. Atqui eius rei in fontibus ne minimam quidem significationem ut deprehenderem mihi contigit. Immo etiam Croesum Ephesiis libertatem concessisse, et Aelianus et Polyaenus eis quos Curtius citauit locis diserte testantur[1].

[1] Aelian. V. H. III 26: *τοῖς μὲν Ἐφεσίοις συγχωρῆσαι τὴν μετ' ἐλευθερίας ἀσφάλειαν.* Polyaen. VI 50: *καὶ πρὸς τοὺς Ἐφεσίους ἐπὶ ἐλευθερίᾳ συνθήκας ἐποιήσατο.*

Mihi quidem Lysimachus prorsus aliter cum Ephesiis egisse uidetur. Nam quin non solum sedes, sed etiam rem publicam Ephesiorum immutauerit, dubitari non potest. Qua re illustratur, quam arte, ut supra significaui, ciuitatium synoecismi cum commodis regum, ciuitatium, partium ciuilium persequendis coniuncti esse soleant. Cum enim popularium potissimum potestatem, cum Demetrii rebus intime coniunctorum, quam maxime diminuere uellet, noua collegia instituit [1], ex optimatibus nimirum, γερουσίαν scilicet et ἐπικλήτους, quibus summas ciuitatis res moderandas tradidit [2]. Atque immutasse Lysimachum anno 302 Ephesiorum rem publicam etiam Droysenus (II 2, 211) et Guhlius (p. 58 adn. 23) perspexerunt. Collegia autem illa de quibus Strabo certiores nos facit, huc referenda esse, luculenter apparet e titulo quodam Woodiano (Inscr. from the temple of Diana n. 19 = Dittenb. Syll. 134), in quo senatus populusque (βουλὴ καὶ δῆμος) Ephesiorum ex auctoritate τῆς γερουσίας καὶ τῶν ἐπικλήτων Euphronium quendam laudant, quod legatis a γερουσίᾳ et ἐπικλήτοις ad Prepelaum missis officia quaedam praestiterit. Hoc igitur decretum factum est eo tempore quo Prepelaus Lysimachi nomine in Ionia imperitabat, quem uere anni 302 eo missum esse constat [3]. Itaque cum omnium titulorum Ephesiorum, quotquot mihi innotuerunt, in hoc solo γερουσία una cum

---

[1] Strabo XIV p. 640: ἦν δὲ γερουσία καταγραφομένη, τούτοις δὲ συνῆεσαν οἱ ἐπίκλητοι καλούμενοι καὶ διῴκουν πάντα.

[2] Hoc modo cum merito omnes fere homines docti eum locum interpretati essent, frustra oblocutus est Dittenbergerus, qui ad titulum Syll. 134 p. 216) haec adnotauit: „ex hoc titulo apparet falli Droysenum Hell. III 1, 33 (immo II 2, 294) et Guhlium Ephes. p. 60, qui hos magistratus a Lysimacho demum institutos existimant. Neque id Strabo dicit.“ Neque enim quo modo ex eo titulo hoc appareat, Dittenbergerus exposuit, et Strabonis arti scribendi parum fidei habeas, si credas temere eum narrationi synoecismi Lysimachei hanc rem adseruisse, nisi quodam modo cum synoecismo instituendo eam coniunctam fuisse sibi persuasisset.

[3] Diod. XX 107. Neque enim ad annum a. C. 314 hunc titulum referendum esse, quo anno Prepelaus a Cassandro in Cariam missus est (Diod. XIX 68, 5) ex eis quae modo exposui intellegitur. cf. Droysen Hell. II 2, 202 adn.

ἐπικλήτοις occurrat[1], dubium, opinor, esse amplius non potest, quae fuerint illa instituta quae Demetrium autumno anni 302, cum urbe potiretur, sustulisse legimus apud Diodorum XX 111.

Ceterum ex eodem titulo apparet, praeter haec noua collegia senatum quoque (βουλήν) et comitia nihilo minus in ciuitate a Lysimacho instituta fuisse, ita tamen ut de rebus gerendis antequam ad senatum et populum ferrentur, γερουσία cum epicletis auctores fierent. Item res externas haec collegia moderabantur, quippe quae dicantur legatos ad Prepelaum misisse.

Iure autem dubites, num anno 302 etiam Lebedios et Colophonios Ephesum Lysimachus traduxerit, quamquam non leue e quo id efficias, argumentum praebere uidetur titulus ille anno 299 oriundus (Hicks 151), in quo legimus: [ἔλαχε] φυλὴν Ἐφεσεύς, χιλιαστὺν Λεβέδιος.

Et profecto, si haec Lebediorum χιλιαστύς cum illo Lysimacheo synoecismo coniungenda uideatur, facere non possimus, quin aestate anni 302 illum Lebedios Ephesum traduxisse iudicemus. Nam inde ab autumno eiusdem anni ciuitas Ephesiorum in Demetrii potestate erat, quocum a. 299 societate coniunctam eam in ipso eo de quo dixi titulo deprehendimus, et cui usque ad annum 295 eam paruisse, Droysenus (II 2, 258) effecit e Plutarchi Demetr. 35.

Concedendum tamen est posse huius χιλιαστύος nomen aliter explicari, cum etiam Teiorum et Carenensium tribus Ephesi fuerint. Quos a Teiis et Carenensibus ciuibus qui olim Ephesum transmigrassent, ortum duxisse Ephorus tradidit[2]. Praeterea si recte C. Curtius[3] coniecit Lysimachum

---

[1] Ea enim γερουσία quae aetate imperatorum Romanorum Ephesi erat (Wood, Disc. at Eph. Inscr. from the Gr. Theatre 1 col. 3 v. 28 sq. col. 6 v. 82; 4 v. 6. 8; 17 v. 13; 18 v. 3. cf. 1 col. 5 v. 72. Le Bas, Asie min. 141. C. Curtius, Hermes IV p. 178 n. 1 v. 4. 13; p. 198 n. 11 v. 7. 10; p. 207 n. 15 v. 2; p. 209 n. 18. v. 14; p. 215 n. 29 v. 5. 7), ad hanc rem non adtinet. Cf. de eo collegio C. Curtius l. c. p. 223 sq. E. Hatch, Organization of the Early Christian Churches p. 65 n. 25—27.

[2] Apud Steph. Byz. s. v. Βέννα. Cf. Wood l. c. temple of Diana p. 42.

[3] Herm. IV p. 221. cf. tit. 35 p. 218.

tribuum numerum auxisse, Lebedii uix *χιλιαστύος* loco *Ἐφεσέων* tribui adtributi fuerint.

Accedit quod ueri simillimum uidetur, illum Lebediorum et Colophoniorum synoecismum cum ipsius Ephesi urbis transpositione coniunctum fuisse, de qua et Strabo et alii[1] certiores nos faciunt. Nam id quod Tei Antigonum facere uoluisse supra conieci (p. 39 sq.), ut urbem e loco demisso et palustri ad elatiorem et salubriorem collocaret, id Ephesi Lysimachum perfecisse constat. Quamuis enim inuitis ciuibus e pristinis sedibus traductis, ad Pionem et Coressum montes urbem denuo exstruxit, et muro muniuit. cuius reliquiae adhuc exstant. Atque de aedificiis quae illi tempori a uiris doctis adtribuuntur[2], hic non locus est disputandi. Certe etiam huius urbis nomen Lysimachus mutauit: ciuitatem enim a se ex Ephesiis, Lebediis, Colophoniis conscriptam Arsinoen e coniugis nomine appellauit. Quam Arsinoen cum anno fere 299 Lysimachus in matrimonium duxerit (Plut. Demetr. 31), non ante annum 295, quo fere ciuitatem rursus in potestatem redegit, hunc synoecismum instituisse uidetur. Atque ne tum quidem statim sed aliquanto tempore interiecto, fortasse post annum 287, hoc factum esse, quamquam non ex eo argumento quod E. Rohde[3] attulit, tamen e nummis quibusdam a Droyseno (II 2, 258) citatis atque e decreto quodam concilii Ionum (Dittenb. Syll. 137) conicere licet, cui praescriptum est: *ἔδοξε Ἰώνων τῶι κοινῶι τῶν τρε[ισκαί]δεκα πόλεων.* Hoc igitur decretum, quod certe Lysimachi temporibus neque tamen ante annum 295 factum est, Lebedi et Colophonis destructione antiquius esse uidetur. Nam uiuo Lysimacho has urbes restitutas non esse inde coniciam, quod Arsinoes nomen post regis mortem demum pristino Ephesi nomini cessisse Stephanus significat.

Ceterum hoc synoecismo certe Lebedii et Colophonii omnes Ephesii facti, ager eorum Ephesio adscriptus est, quem

---

[1] Strabo XIV p. 640. Steph. Byz. s. v. *Ἔφεσος.* Eustath. ad Dionys. Perieg. 828 (Müller, Geogr. Gr. min. II p. 363), ubi recte iam cum codd. *γυναικός* pro *θυγατρός* legitur.

[2] Cf. praeter Woodium et E. Curtium (l. c.) Guhl p. 177 sqq.

[3] Der griechische Roman p. 76 adn.

ad modum Lebedius ager Teius factus esset, nisi Antigoni consilio rerum maiorum uis interuenisset. Quod aliter censet Kuhnius (Entstehung der Staedte p. 358 sq.), qui etiam ciuitates eorum permansisse iudicat contra testimonium Pausaniae (I 9, 7), neque ullo modo probari, neque inde effici potest, quod postea et Lebedus et Colophon ciuitates rursus exstitere. De qua quidem re dubitare non licet, testibus cum aliis tum Horatio (Epist. I 11, 7: Scis Lebedus quid sit?). Quamquam Lebediorum χιλιαστύς etiam imperatorum aetate Ephesi inuenitur (cf. Wood. l. c. Inscr. from the Augusteum n. 6). Multo ante autem Lebedios ab Ephesiis διοικισμῷ separatos esse, inde sequitur, quod Attalidarum tempore artifices Dionysiacos in ciuitatem receperunt (Strabo XIV p. 643). Erat autem Lebediorum ciuitas etiam Pausaniae (VII 5, 11) et Ptolemaei (V 2, 7) temporibus.

Teiorum et Lebediorum synoecismus nimirum eodem consilio ab Antigono institutus est atque ceteri quos commemoraui omnes: scilicet maxime, ut socios, immo re uera ciuitates imperio suo subiectas sibi compararet tales quarum uoluntate et uiribus regnum suum fulciretur. Itaque uires earum augere Antigoni maxime intererat. Graecas enim Asiae ciuitates illo tempore florere quodam modo desiisse atque aere alieno oppressas fuisse, e titulo ipso cognoscimus (§ 4. 10). Neque mirum est bellis illis perpetuis, ad quae regibus auxilia mittere cogebantur, eas laborasse, commercia earum iacuisse. Certe Teiorum ciuitas nescio ex quo tempore aliquantum deminuta erat. Nam fieri posse, ut omnibus Lebediis praeter pristinos incolas sedes in urbe parentur, Antigonus censet (§ 2).

Huic igitur miseriae rex ita mederi uolebat, ut ciuitates minores tolleret, earumque ciuibus illas amplificaret quas denuo efflorescere posse spes erat. Qua in re tam beneuole quam prudenter eum egisse concedamus. Nam ut hoc omittam urbes magnas ciuitatibus diminutis haud facile defendi posse[2], certe multo maiora commoda magnae ciuitates quam paruae ciuibus praebent, siquidem illae multo facilius sumptus ad

---

[2] Cf. Polyb. II 55, 2. V 93, 5.

instituta publica comparanda et seruanda praestant, atque artificia et quaestus, praeter alia quidem mercatura, in illis melius et commodius exercentur. — Inuicem haud dubio nulla alia re aptius effici poterat, ut ciuitates efflorescerent, quam ita ut commercia, quibus maxime res urbanae crescunt, leuarentur et augerentur. Quam rem Antigonum cum in aliis ciuitatibus restituendis et condendis, tum in Teiorum synoecismo instituendo respexisse uidimus (cf. § 11 et p. 46). Certe Teos urbs ad mercaturam exercendam maxime opportuna fuisse uidetur, quae et in media ora Ioniae sita et duobus portubus praedita erat egregiis, quorum alteruter, teste Hamiltono[1], omni uento capi potest.

Itaque si libertatem re uera quidem diminutam omittas, ciuitatibus ipsis regem haud male consuluisse fatearis, cum salutem eis quamquam inuitis ingereret.

[1] Researches in Asia Minor II p. 11. — Huius rei etiam Maussollum in Halicarnassi synoecismo instituendo (de quo cf. Kuhn l. c. p. 252 sqq.) rationem habuisse tradidit Vitruuius II 8, 11.

Corrigenda:

P. 35 v. 16—21 corrige e p. 56—58.

P. 48 v. 6 pro uerbis „ante tempora legitima" lege: „pro ceteris mutui loco". Haec enim ab Atheniensium προεισφορᾷ diuersa esse mihi iam non uidetur.

II. DE SMYRNAEORUM ET MAGNETUM SYMPOLITIA.

Pactum Smyrnaeorum cum Magnetibus de sympolitia ineunda factum cippo marmoreo inscriptum est, Smyrnae inuento, qui nunc Oxoniae seruatur. Edidit e Chandleri Marm. Oxon. II 26 Boeckhius (CIG 3137), repetiit Hicksius (Greek Histor. Inscr. 176) lapide denuo collato, quapropter huius exemplum mihi repetendum esse censui. Boeckhii exemplar secutus est Dittenbergerus (Syll. Inscr. Gr. 171).

Titulus in tres diuiditur partes, quarum prima continet Smyrnaeorum populi scitum, quo praeparatur pactum sympoliticum quod altera parte continetur; tertiam efficit populi scitum, quo ciuitate a Smyrnaeis donantur homines quidam Palaemagnesiae in castello collocati.

Atque Magnetes cum antea mirum in modum ab hominibus doctis ei intellecti essent, qui ad Maeandrum habitabant, cum Magnesia Sipylena potius hoc pactum Smyrnaeos fecisse Boéckhius docuit.

I. *Ἔδοξεν τῶι δήμωι, στρατηγῶν γνώμη.*

1. *Ἐπειδὴ πρότερόν τε καθ᾽ ὃν καιρὸν ὁ βασιλεὺς Σέλευκος ὑπερ|έβαλεν εἰς τὴν Σελευκίδα, πολλῶν [κ]αὶ μεγάλων κινδύνων περιστάντων τὴμ πόλιν ἡμῶν καὶ τὴν | χώραν, διεφύλαξεν ὁ δῆμος τὴμ πρὸς αὐτὸν εὔνοιάν τε καὶ φιλίαν οὐ καταπλαγεὶς τὴν τῶν ἐναντίων ἔφοδον | οὐδὲ φροντίσας τῆς τῶν ὑπαρχόντων ἀπωλείας, ἀλλὰ πάντα δεύτερα ἡγησάμενος εἶναι πρὸς τὸ διαμεῖ|ναι ἐν τῆι αἱρέσει καὶ ἀντιλαβέσθαι τῶμ π[ρ]αγμάτων κατὰ τὴν ἑαυτοῦ δύναμιν, καθότι ἐξ ἀρχῆς ὑπέστη· —*

2. *δι᾽ ὃ | καὶ ὁ βασιλεὺς Σέλευκος εὐσεβῶς τὰ πρὸς τοὺς θεοὺς διακείμενος καὶ φιλοστόργως τὰ πρὸς τοὺς γονεῖς, μεγα|-*

λόψυχος ὢν καὶ ἐπιστάμενος χάριτας ἀποδιδόναι τοῖς ἑαυτὸν εὐεργετοῦσιν ἐτίμησεν τὴμ πόλιν ἡμῶν διά | τε τὴν τοῦ δήμου εὔνοιαν καὶ φιλοτιμίαν ἣν ἐπεποίητο εἰς τὰ πράγματα αὐτοῦ, καὶ διὰ τὸ τὸμ πατέ|ρα αὐτοῦ θεὸν Ἀντίοχον καὶ τὴμ μητέρα τὴν τοῦ πατρὸς θεὰν Στρατονίκην ἱδρῦσθαι παρ᾽ ἡμῖν τιμωμένους τιμαῖς ἀξιολόγοις καὶ κοινῆι ὑπὸ τοῦ πλήθους καὶ ἰδίαι ὑφ᾽ ἑκάστου τῶμ πολιτῶν, καὶ ἐβεβαίωσεν τῶι δήμωι τὴν αὐ|τονομίαν καὶ δημοκρατίαν, ἔγραψεν δὲ καὶ πρὸς τοὺς βασιλεῖς καὶ τοὺς δυνάστας καὶ τὰς πόλεις καὶ τὰ ἔθνη, ἀξι|ώσας ἀποδέξασθαι τό τε ἱερὸν τῆς Στρατονικίδος Ἀφροδίτης ἄσυλον εἶναι καὶ τὴμ πόλιν ἡμῶν ἱερὰν καὶ ἄσυλον· —

3. νῦν τε ὑπερ|βεβληκότος τοῦ βασιλέως εἰς τὴν Σελευκίδα, οἱ στρατη[γο]ὶ σπεύδοντες διαμένειν τῶι βασιλεῖ τὰ πράγματα συμφερόντως, διε|πέμψαντο πρὸς τοὺς ἐμ Μαγνησίαι κατοίκους καὶ πρὸ[ς] τοὺς ὑπαίθρους ἱππεῖς καὶ στρατιώτας, καὶ ἀπέστειλαν ἐξ αὐτῶν | ἕνα Διονύσιον τὸμ παρακαλέσοντα αὐτοὺς διαφυλάσσειν τὴμ φιλίαν καὶ συμμαχίαν βασιλεῖ Σελεύκωι εἰς | πάντα τὸγ χρόνον, ἐπαγγελλόμενοι διατηρούντων αὐτῶν τὰ πράγματα καὶ τὸν αὐτὸν ἐχθρὸγ καὶ φίλον ἡγουμένων, ὑπάρξειν αὐ|τοῖς παρὰ τοῦ δήμου καὶ παρὰ τοῦ βασιλέως Σελεύκου πάντα τὰ φιλάνθρωπα καὶ καλῶς ἔχοντα, καὶ ἀποδοθήσεσθαι χάρι|τας αὐτοῖς ἀξίας τῆς αἱρέσεως,

4. οἱ δὲ ἐμ Μαγνησίαι παρακληθέντες καὶ αὐτοὶ ὄντες πρόθυμοι πρὸς τὸ διαφυλάσσειν τῶι βασιλεῖ τήν τε φι|λίαν καὶ τὴν συμμαχίαν καὶ διατηρεῖν αὐτῶι τὰ πράγματα, τά τ[ε] ἀξιωθέντα ὑπὸ τῶν στρατηγῶν φιλοτίμως ἀπεδέξαντο καὶ ἐπαγγέλ|λονται τὴν αὐτὴν ἕξειν αἵρεσιν τῶι δήμωι τῶι ἡμετέρωι εἰς πάντα τὰ τοῦ βασιλέως Σελεύκου συμφέροντα, καὶ ἀπεστάλκασιν | πρὸς ἡμᾶς πρεσβευτὰς ἐγ μὲν τῶγ κατοίκων Ποτάμωνα καὶ [Ἱ]εροκλῆν, ἐγ δὲ τῶν ὑπαίθρων Δάμωνα καὶ Ἀπολλωνικέτην τοὺς δ[ια]|λεξομένους τε ἡμῖν καὶ ἀνοίσοντας τὴν ὁμολογίαν καθ᾽ ἣν ἀξι[ο]ῦσιν συνθέσθαι τὴμ πρὸς ἑαυτοὺς φιλίαν·

5. ἐπαχθέντες δὲ καὶ ο[ἱ] | πρεσβευταὶ ἐπὶ τὸν δῆμον συνλελαλήκασιν ὑπὲρ ἁπάντων ἀκολ[ού]θως τοῖς ἐν τῆι ὁμολογίαι γεγραμμένοις·

6. ἀγαθῆι τύχηι· δεδόχθα[ι] | τήν τε φιλίαν συντίθεσθαι πρὸς τοὺς ἐμ Μαγνησίαι ἐπὶ πᾶσι τοῖ[ς] τοῦ βασιλέως Σελεύκου συμφέρουσιν,

7. καὶ ἀποδεῖξαι πρὸς αὐτοὺ[ς] | πρεσβευτὰς τρεῖς, οἵτινες τὴν ὁμολογίαν τε, ἥτις ἂν δόξηι τῶι δήμωι, ἀνοίσουσιν αὐτοῖς

καὶ περὶ τῶγ γεγραμμένων ἐν αὐτῆι δι[α]|λεγήσονται καὶ παρακαλέσουσιν αὐτοὺς δέχεσθαί τε καὶ συντελεῖν τὰ ἐν τῆι ὁμολογίαι γεγραμμένα. καὶ ἐάμπερ δέξωνται οἱ ἐμ | Μαγνησίαι, ὁρκισάτωσαν αὐτοὺς οἱ ἀποδειχθησόμενοι πρεσβευταὶ τὸν ὅρκον τὸν ἐν τῆι ὁμολογίαι γεγραμμένον.

8. προσδεξαμέν[ων] | δὲ ταῦτα τῶν ἐμ Μαγνησίαι καὶ συνσφραγισαμένων τὴν ὁμολογίαν καὶ ὀμοσάντων, καὶ ἐπανελθόντων τῶμ πρεσβευτῶν, συ[ντε]|τελείσθω καὶ τὰ λοιπὰ πάντα τὰ ἐν τῆι ὁμολογίαι γεγραμμένα.

9. καὶ τὸ ψήφισμα τόδε ἀναγραφήτω κατὰ τὸν νόμον· ἀναγραφήτω δὲ κ[αὶ εἰς] | στήλας εἰς ἃς καὶ ἡ ὁμολογία ἀναγραφήσεται.

10. καλεσάτωσαν δὲ οἱ ἐπιμήνιοι τῆς βουλῆς καὶ τοὺς πρεσβευτὰς τοὺς παραγεν[ομένους] | ἐγ Μαγνησίας ἐπὶ ξενισμὸν εἰς τὸ πρυτανεῖον.

11. τοῖς δὲ ἀποδειχθε[ῖ]σιμ πρεσβευταῖς δότω μεθόδιον Καλλῖνος ὁ ταμίας τὸ ἐκ τοῦ [νόμου] | ἡμερῶν ὅσων ἂν ὁ δῆμος τάξηι, ἀπὸ τῶν τῆς πόλεως προσόδων. —

12. Ἡμέρα[ι] ἐτάγησαμ πέντε. πρεσβευταὶ ἀπεδείχθησαν Φανόδημος Μικ[ίωνος], | Διονύσιος Διονυτᾶ, Παρμενίσκος Πυθέου. |

II. Ἐπὶ ἱερέως Ἡγησίου, στεφανηφόρου δὲ Πυθοδώρου, μηνὸς Ληναιῶνος, ἀγαθῆι τύχηι, ἐπὶ τοῖσδε συνέθεντο τὴμ φιλίαν Σμυρναῖ[οί] | τε καὶ οἱ ἐμ Μαγνησίαι κάτοικοι, οἵ τε κατὰ πόλιν ἱππεῖς καὶ πεζοὶ κα[ὶ οἱ] ἐν τοῖς ὑπαίθροις, καὶ οἱ ἄλλοι οἰκηταί, καὶ τὴμ πολιτείαν ἔδωκαν | Σμυρναῖοι τοῖς ἐμ Μαγνησίαι κατοίκοις, τοῖς τε κατὰ πό[λ]ιν ἱππεῦσι καὶ πεζοῖς καὶ τοῖς ὑπαίθροις, καὶ τοῖς [ἄλλοις τοῖς] οἰκοῦσι | τὴμ πόλιν·

1. ἐφ' ὅτωι τὴμ μὲν συμμαχίαν καὶ τὴν εὔνοιαν τὴν εἰ[ς] τὰ πράγματα τὰ τοῦ βασιλέως Σελεύκου διατηρήσουσιν οἱ ἐμ | Μαγνησίαι τῶι βασιλεῖ Σελεύκωι μετὰ πάσης προθυμίας εἰς ἅπαντα [τὸγ] χρόνον.

2. καὶ ὅσα παρείληφαν παρὰ τοῦ βασιλέως Σελεύκου φυλάξαντες | εἰς δύναμιν εἶναι τὴν αὐτῶν, ἀποδώσουσιν τῶι βασιλεῖ Σελεύκωι.

3. [πο]λιτεύσονται δὲ μετὰ Σμυρναίων κατὰ τοὺς τῆς πόλεως νόμους | [ἀ]στασιάστως τὸν αὐτὸν ἐχθρὸγ καὶ φίλον ἡγούμενοι Σμυρναίοι[ς.

4. ὀ]μοῦνται δὲ καὶ οἱ ἐμ Μανησίαι Σμυρναίοις καὶ Σμυρναῖοι τοῖς ἐμ | Μαγνησίαι ἑκάτεροι αὐτῶν τὸν ὅρκον τὸν ἐν τῆι ὁμολογίαι ὑπο[γε]γραμμένον.

5. συντελεσθέντων δὲ τῶν ὅρκων τὰ μὲν ἐγκλήματα αὐ|τοῖς τὰ γεγενημένα κατὰ τὸμ πόλεμον ἤρθω πάντα, καὶ μὴ ἐξέστω [μηδ]ὲ ἑτέροις ἐγκαλέσαι περὶ τῶγ κατὰ τὸν πόλεμον γεγενημένων μή[τε] | διὰ δίκης μήτε κατ' ἄλλον τρόπομ μηθένα· εἰ δὲ μή, πᾶν τὸ ἐπιφερόμενον ἔγκλημα ἄκυρον ἔστω.

6. δεδόσθαι δὲ τοῖς ἐμ Μαγνησίαι κατοίκ[οις], | τοῖς τε κατὰ πόλιν ἱππεῦσι καὶ πεζοῖς καὶ τοῖς ὑπαίθροις, πολιτεί[α]ν ἐν Σμύρνηι ἐφ' ἴσηι καὶ ὁμοίαι τοῖς ἄλλοις πολίταις· ὁμοίως δὲ δε[δόσθαι | τ]ὴμ πολιτείαν καὶ τοῖς ἄλλοις τ[οῖς οἰκο]ῦσιν ἐμ Μαγνησίαι ὅσοι ἂν ὦσιν [ἐ]λεύθεροί τε καὶ Ἕλληνες.

ἀνενεγκάτωσαν δὲ τοὺς μὲγ καταλοχισμ[οὺς | τ]ῶν ἐμ Μαγνησίαι ἱππέων τε καὶ πεζῶν τῶν τε κατὰ πόλιγ καὶ τῶν ὑπα[ίθ]ρων οἱ ὄντες γραμματεῖς τῶν ταγμάτων ἐπὶ τὸν δῆμον, τῶν δὲ ἄλλ[ων] | οἰκητῶν τὴγ γραφ[ὴν οἱ] ἀποδειχθέντες ὑπὸ τῶν ἐμ Μαγνησίαι κατοίκω[ν] ἄνδρες. ὅταν δὲ τιθῶνται τοὺς καταλοχισμοὺς οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ | [ἄ]νδρες οἱ ἀπ[οδ]ειχθέντες τὴγ γραφὴν τῶν ἄλλων οἰκητῶν, ὁρκισάτωσαν [αὐ]τοὺς οἱ ἐξετασταὶ ἐπὶ τοῦ μητρώιου ἱεροῖς νεοκαύτο[ις, τοὺς μὲγ | γραμμ]ατεῖς ἦ μὴν ἀπὸ τοῦ βελτίστου ἀνενηνοχέναι τὴγ γραφὴν τῶν ὄντω[ν π]αρ' αὐτοῖς κατοίκων ἱππέων καὶ πε[ζῶν τῶν τε κατὰ πόλιν καὶ τῶν κατὰ τὰ] | ὕπαιθρα τασσομένων, τοὺς δὲ ἄνδρας τοὺς ἀ[ναφ]έροντας τὴγ γραφὴν τῶν [ἄλλων οἰκητῶν ἦ μὴν ἀπὸ τοῦ βελτίστου ἀνενηνοχέναι τὴγ γραφὴν τῶν] | οἰκούντων ἐμ Μαγνησίαι καὶ ὄντων ἐλευθέρων κ[αὶ] Ἑλλήνων· τὰς δὲ ἀνενεχ[θείσας γραφὰς οἱ] ἐξετασταὶ παραδότωσαν τῶι γραμμα[τοφύ]λακι τῆς | βουλῆς καὶ τοῦ δήμου· ὁ δὲ θέσθω εἰς [τὸ] δημόσιον· ἐπικληρωσάτωσαν δὲ ο[ἱ ἐξεταστ]αὶ εἰς τὰς φυλὰς τὰ ἀνενεχθέντα ὀνόματα πάντα, καὶ ἀ[να]|γραψάτωσαν εἰς τὰ κληρωτήρια.

καὶ ἔστω μετουσία τοῖς ἀναγραφεῖσιν ε[ἰς τὰ κληρ]ωτήρια πάντων ὧγ καὶ τοῖς λοιποῖς πολίταις μέτεστιν. |

7. χρήσθωσαν δὲ οἱ πολιτογραφηθέντες καὶ ἐμ Μαγνησίαι περὶ τῶν συναλλ[αγμάτ]ων καὶ τῶν ἐγκλημάτων τῶμ πρὸς Σμυρναίους τοῖς νόμοις | τοῖς Σμυρναίων.

8. δεχέσθωσαν δὲ καὶ ἐμ Μαγνησίαι τὸ νόμισμα τὸ τῆς πόλεως [ἔνν]ομον.

9. καὶ ἄρχοντα δὲ ὃν ἂν ἀποστέλληι ὁ δῆμος κυριεύσοντά τε | τῶγ κλειδῶν καὶ ἐσόμενον ἐπὶ τῆς φυλακῆς τῆς πόλεως καὶ διατηρήσοντα [τ]ὴμ πόλιν τῶι βασιλεῖ Σελεύκωι παραδέξονται οἱ ἐμ Μαγνησίαι.

10. δό|τωσαν δὲ Σμυρναῖοι καὶ εἰς κατασκήνωσιν τοῖς ἀποσκευαζομένοις τῶν ἐκ Μαγν[ησ]ίας οἰκίας κλινῶν ὅσων ἂν τῶι δήμωι δόξηι, ἀφ' οὗ ἂγ χρόνου ἡ ὁμολο|γία συνσφραγισθῆι εἰς ἑξάμηνον· μισθούσθω δὲ ὁ ταμίας τῶν ὁσίωμ προσόδων [τ]ὰς οἰκίας μετὰ τῶν στρατηγῶγ καὶ τὸ ἀνήλωμα διδότω ἀπὸ τῶν τῆ[ς] | πόλεως προσόδων.

11. ὀμόσαι δὲ τοὺς μὲν ἐμ Μαγνησίαι κατοίκους τῶν τε κατὰ πό[λ]ιν ἱππέων καὶ πεζῶν καὶ τοὺς ἐν τοῖς ὑπαίθροις τασσομένους, κα[ὶ] | τοὺς ἄλλους τοὺς καταχωριζομένους εἰς τὸ πολίτευμα τόνδε τὸν ὅρκον· Ὀμνύω Δία, Γῆν, Ἥλιον, Ἄρη, Ἀθηνᾶν Ἀρείαν, καὶ τὴν Ταυροπόλον, καὶ τὴ[μ] | Μητέρα τὴν Σιπυληνήν, καὶ Ἀπόλλω τὸν ἐμ Πάνδοις, καὶ τοὺς ἄλλους θεοὺς πάντας καὶ πάσας, καὶ τὴν τοῦ βασιλέως Σελεύκου τύχην· ἐμμενῶ ἐν | ταῖς συνθήκαις αἷς συντέθειμαι πρὸς Σμυρναίους εἰς ἅπαντα τὸγ χρόνον, [κ]αὶ διατηρήσω τήν τε συμμαχίαν καὶ τὴν εὔνοιαν τῶι βασιλεῖ Σελεύκωι | καὶ τῆι Σμυρναίων πόλει, καὶ ἃ παρείληφα παρὰ τοῦ βασιλέως Σελεύκου διατηρ[ήσω] κατὰ δύναμιν τὴν ἐμὴν καὶ ἀποδώσω τῶι βασιλεῖ Σελεύκωι. καὶ οὐθὲν | παραβήσομαι τῶγ κατὰ τὴν ὁμολογίαν, οὐδὲ μεταθήσω ἐπὶ τὸ χεῖρον τὰ γεγραμ[μ]ένα ἐν αὐτῆι οὔτε τρόπωι οὔτε μηχανῆι οὐδεμιᾶι. — Καὶ πολιτεύσομαι μεθ' ὁ|μονοίας ἀστασιάστως κατὰ τοὺς Σμυρναίων νόμους καὶ τὰ ψηφίσματα τοῦ δ[ή]μου· καὶ συνδιατηρήσω τήν τε αὐτονομίαν καὶ δημοκρατίαν καὶ τἆλλα τὰ | ἐπικεχωρημένα Σμυρναίοις ὑπὸ τοῦ βασιλέως Σελεύκου μετὰ πάσης προθυμ[ία]ς ἐμ παντὶ καιρῶι. καὶ οὔτε αὐτὸς ἀδικήσω αὐτῶν οὐθένα οὔτε ἄλλωι ἐπ[ι]|τρέψω οὐθενὶ κατὰ δύναμιν τὴν ἐμήν. καὶ ἐάν τινα αἰσθάνωμαι ἐπιβουλεύο[ντα] τῆι πόλει ἢ τοῖς χωρίοις τοῖς τῆς πόλεως, ἢ τὴν δημοκρατίαν ἢ τὴν ἰσο|νομίαν καταλύοντα, μηνύσω τῶι δήμωι τῶι Σμυρναίων καὶ βοηθήσω ἀγωνιζ[όμ]ενος μετὰ πάσης φιλοτιμίας, καὶ οὐκ ἐγκαταλείψω κατὰ δύναμιν τὴν | ἐμαυτοῦ. εὐορκοῦντι μέν μοι εὖ εἴη, ἐφιορκοῦντι δὲ ἐξώλεια καὶ αὐτῶι καὶ γέ[νει τ]ῶι ἐξ ἐμοῦ.

12. ὀμόσαι δὲ καὶ Σμυρναίους τοῖς ἀπὸ Μαγνησίας τὸν ὅρκον | τόνδε· Ὀμνύω Δία, Γῆν, Ἥλιον, Ἄρη, Ἀθηνᾶν Ἀρείαν,

καὶ τὴν Ταυροπόλον, καὶ τὴμ Μη[τέρ]α τὴν Σιπυληνήν, καὶ Ἀφροδίτην Στρατονικίδα, καὶ τοὺς ἄλλους θεοὺς | πάντας καὶ πάσας· ἐμμενῶ ἐν ταῖς συνθήκαις αἷς συντεθείμεθα πρὸς τοὺς [ἐμ Μ]αγνησίαι κατοίκους τούς τε κατὰ πόλιν ἱππεῖς καὶ πεζοὺς καὶ τοὺς ἐν τ[οῖς] | ὑπαίθροις τασσομένους, καὶ τοὺς ἄλλους τοὺς καταχωριζομένους εἰς τὸ π[ολί]τευμα, εἰς ἅπαντα τὸγ χρόνον, οὐθὲν παραβαίνων τῶγ κατὰ τὴν ὁμολογίαν, | οὐδὲ μετατιθεὶς ἐπὶ τὸ χεῖρον τὰ γεγραμμένα ἐν αὐτῆι οὔτε τέχνηι οὔτε [μηχα]νῆι οὐδεμιᾶι. καὶ εὐνοήσω καὶ βασιλεῖ Σελεύκωι καὶ τοῖς ἐκ Μαγνησίας κα|τοίκοις, τοῖς τε κατὰ πόλιν καὶ τοῖς ὑπαίθροις, καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς οἰκο[ῦσιν ἐμ] Μαγνησίαι ὅσοι εἰσὶν ἐλεύθεροί τε καὶ Ἕλληνες. καὶ ποιήσομαι αὐτοὺς | πολίτας πάντας καὶ τοὺς ἐκγόνους αὐτῶν ἐφ' ἴσηι καὶ ὁμοίαι τοῖς ἄλλοις πολί[ταις, κ]αὶ εἰς φυλὰς αὐτοὺς ἐπικληρώσας καταχωριῶ εἰς ἣν ἂν ἕκαστοι λάχωσιν. | καὶ οὔτε αὐτὸς ἀδικήσω αὐτ[ῶν] οὐθένα οὔτε ἄλλωι ἐπιτρέψω οὐθενὶ κατὰ δ[ύν]αμιν τὴν ἐμήν· καὶ ἐάν τινα αἰσθάνωμαι ἐπιβουλεύοντα αὐτοῖς ἢ τοῖς ἐκγό[νοις] | αὐτῶν ἢ τοῖς ὑπάρχουσιν αὐτῶν, μηνύσω ὡς ἂν τάχιστα δύνωμαι, καὶ βοι[ηθήσ]ω μετὰ φιλοτιμίας. καὶ μετουσίαν αὐτοῖς δώσω τῶν τε ἀρχείων καὶ τῶν ἄ[λλων] | τῶν κοινῶν τῆς πόλεως ὧν καὶ οἱ ἄλλοι πολῖται μετέχουσιν. εὐορκο[ῦντι μέμ] μοι εὖ εἴη, ἐφιορκοῦντι δὲ ἐξώλεια καὶ αὐτῶι καὶ γένει τῶι ἐξ ἐμοῦ.

13. Ἀποδ[ειξά]|τωσαν δὲ Σμυρναῖοί τε καὶ οἱ ἀπὸ Μαγνησίας ἄνδρας [ἑκάτεροι αὐτῶν ὅσους] ἂν ἑκάτεροι ὑπολαμβάνωσιν ἱκανοὺς εἶναι, τοὺς ὁρκιοῦντας τὸ πλῆθος | τῶν τε ἐν Σμύρνηι καὶ τῶν ἐμ Μαγνησίαι. οἱ δὲ [ὁρκιζέτωσαν προγράψα]ντες τῆι πρότερον ἡμέραι ἐνδημεῖν τοὺς ἐν τῆι πόλει ὡς τοῦ ὅρκου συ[ντε]|λεσθησομένου τοῦ κατὰ τὴν ὁμολογίαν. [ὁρκιζέτωσαν δὲ τὸν ὅρκον τὸν προγεγραμμέν]ον οἱ μὲν ἐκ Μαγνησίας ἀποδειχθέντες Σμυρναίους, οἱ δὲ ἐξ Σμύρνης τοὺς ἐμ | Μαγνησίαι. τὰ δὲ ἱερεῖα τὰ εἰς τὰ [ὁρ]κωμόσια ἐν Σμύρνηι [δότω ὁ ταμίας Καλ]λῖνος ἀφ' ὧν ἂν ψηφίσηται ὁ δῆμος, ἐν δὲ Μαγνησίαι οἱ ταμίαι οἷς ἂν τὸ πλῆθος ἐπι|τάξηι.

14. Ἀναγραψάτωσ[αν] δὲ καὶ τὴν ὁμολογίαν ἐν στήλα[ις λευκολίθοις καὶ ἀναθέ]τωσαν Σμυρναῖοι μὲν ἐν τῶι τῆς Ἀφροδίτης τῆς Στρατ[ονικ]ίδος ἱερῶι καὶ | ἐμ Μαγνησίαι τῆι πρὸς τῶι Μαιάνδρωι ἐν τῶι τῆς Ἀρτέμιδ[ος τῆς Λευκοφρυη]νῆς ἱερῶι, οἱ δὲ ἐμ Μαγνησίαι κάτοικοι ἔν τε τῆι ἀγορᾶι παρὰ τὸν

βωμὸν τοῦ | Διον[ύσ]ου καὶ τὰς τῶν βασιλέων εἰκόνας, καὶ ἐμ Πάνδοις ἐν [τῶι ἱερῶι τοῦ] Ἀπόλλωνος, καὶ ἐγ Γρυνέωι ἐν τῶι ἱερῶι τοῦ Ἀπόλλωνος.

15. ἀναγραψάτω δὲ καὶ ὁ γρα[μ]|ματοφύλαξ τῆς βουλῆς καὶ τοῦ δήμου τὰ ἀντίγραφα τῆς ὁμολογίας [εἰς τὸ δημ]όσιον. συνσφραγισάσθωσαν δὲ τὰς ὁμολογίας τὴμ μὲν Σμυρναίοις δοθησομένην | οὓς ἂν ἀποδείξηι τὸ κοινὸν τῶν ἐμ Μαγνησίαι τοῖς τε ἑαυτῶν δακτυλίοις κα[ὶ τ]ῶι ὑπάρχοντι κοινῶι, τὴν δὲ εἰς Μαγνησίαν δοθησομένην σφραγισάσθωσαν Σμυρνα[ίων] | οἵ τε στρατηγοὶ καὶ οἱ ἐξετασταὶ τῶι τε τῆς πόλεως δακτυλίωι καὶ τοῖς αὐτῶν.

16. ταῦτα δὲ ἀμφοτέροις τοῖς πλήθεσιν συντετελέσθαι τύχηι τῆι ἀγαθῆι. |

III. Ἔδοξεν τῶι δήμωι, στρατηγῶν γνώμη.

1. Ἐπειδὴ προνοῶν ὁ δῆμος ὑπὲρ ἁπάντων [τ]ῶν τοῦ βασιλέως Σελεύκου συμφερόντων διετέλει καὶ πρότερον τήν τε βασιλεί[αν] | αὐτοῦ συναύξων καὶ τὰ πράγματα διατηρῶν καθ' ὅσον ἦν δυνατός, καὶ πολλὰ μὲν περιεῖδεν ἀπολλύμενα καὶ καταφθειρόμενα τῶν ὑπαρχόντων, πολλοὺς δὲ ὑπέμειν[εν] | κινδύνους ἕνεκεν τοῦ διατηρῆσαι τὴν φιλίαν τὴν πρὸς τὸν βασιλέα Σέλευκον· καὶ νῦν φιλοτιμούμενος αὐτῶι συνδιατηρῆσαι καὶ συνέχειν τὰ πράγματα καθ' ὅ[σον] | ἐνδεχόμενόν ἐστιν, τήν τε πρὸς τοὺς ἐμ Μαγνησίαι κατοίκους καὶ τοὺς ὑπαίθρους ἱππεῖς καὶ τοὺς πεζοὺς στρατιώτας καὶ τοὺς ἄλλους τοὺς οἰκοῦντας ἐμ Μα|γνησίαι συντέθειται φιλίαν, ἵνα διαφυλάσσωσιν τὴν συμμαχίαν καὶ τὴν εὔνοιαν τῶι βασιλεῖ Σελεύκωι·

2. νομίζω[ν] δὲ [ἀ]ναγκαῖον εἶναι τῆι πόλει παραλαβεῖν καὶ τ[ὸ] | χωρίον Παλαιμαγνησίαν καὶ ποιήσασθαι τὴν φυλακὴν δι' αὐτοῦ, ἵνα καὶ τούτου παραληφθέντος ὑπὸ τῆς πόλεως ἀσφαλέστερον διαμένηι πάντα τὰ σύνεγγυ[ς] | πράγματα τῶι βασιλεῖ Σελεύκωι, διεπέμψαντο πρὸς τοὺς οἰκοῦντας ἐν τῶι χω[ρ]ίωι καὶ παρεκάλεσαν αὐτοὺς αἱρεῖσθαι τὴν φιλίαν τὴν πρὸς τὸν βασιλέα Σέλευκον, | καὶ παραδοῦναι τὰς κλεῖδας τῶι ἄρχοντι τῶι ἀποσταλέντι ὑπὸ τοῦ δήμου, καὶ πα[ρ]αδέξ[α]σθαι φυλακὴν τὴν συνδιατηρήσουσαν μετ' αὐτῶν τὸ χωρίον τῶι βασιλεῖ | Σελεύκωι, ἐπαγγελλόμενος ταῦτα ποιησάντων αὐτῶν ὑπάρξειν αὐτοῖς παρὰ τῆς πόλεως πάντα τὰ φιλάνθρωπα καὶ καλῶς ἔχοντα·

3. οἱ δὲ οἰκοῦντες ἐν τῶι | χωρίωι ἑλόμενοι τὴμ φιλίαν

τὴν πρὸς τὸν βασιλέα Σέλευκον μετὰ πάσης προ[θ]υμίας, προσεδέξαντο ταξιούμενα ὑπὸ τοῦ δήμου, καὶ τάς τε κλεῖδας παραδεδώκασ[ιν] | τῶι ἄρχοντι τῶι ἀπεσταλμένωι ὑπὸ τοῦ δήμου, καὶ τὴν φυλακὴν τὴν παρὰ τῆς πόλεως παρεδέξαντο εἰς τὸ χωρίον·

4. ἀγαθῆι τύχηι· δεδόχθαι πολίτας τε αὐτοὺς εἶν[αι]|, καὶ ὑπάρχειν αὐτοῖς τὰ αὐτὰ ὅσα καὶ τοῖς ἄλλοις πολίταις ὑπάρχει.

5. καὶ τούς τε κ[λ]ήρους αὐτῶν τοὺς δύο, ὅν τε ὁ Θεὸς καὶ Σωτὴρ Ἀντίοχος ἐπεχώρησεν αὐτοῖς καὶ περὶ ο[ὗ] | Ἀλέξανδρος γεγράφηκεν, εἶναι αὐτοῖς ἀδεκατεύτους, καὶ ἐὰν προσορισθῆι ἡ χώρα ἣν ἔχουσιν οἱ πρότερον ὄντες ἐμ Μαγνησίαι κάτοικοι, τῆι πόλει τῆι ἡμετέραι, | ὑπάρχειν αὐτοῖς τοὺς τρεῖς κλήρους δωρεάν.

καὶ τὴν ἀτέλειαν αὐτοῖς μέ[ν]ειν τὴν νῦν ὑπάρχουσαν.

καὶ ὅσοι αὐτῶν εἰσιν ἀκληρούχητοι, δοθῆναι αὐτοῖς κλῆρο[ν]| ἱππικὸν δωρεὰν τῶν παρακειμένων τῶι χωρίωι.

6. ὑπάρχειν δὲ καὶ Τίμωνι κα[ὶ τ]οῖς πεζοῖς τοῖς τεταγμένοις ὑπὸ Τίμωνα τοῖς ἀποταχθεῖσιν ἀπὸ τῆς φάλαγγο[ς] | ἐπὶ τὴν φυλακὴν τοῦ χωρίου τήν τε πολιτείαν καὶ τὴν αὐτὴν ἀτέλειαν [ἣ κ]αὶ τοῖς ἄλλοις ὑπάρχει. καὶ εἶναι αὐτοὺς ἐν τῶι χωρίωι. ὑπάρχειν δὲ καὶ Ὠμάνει καὶ το[ῖς] | Πέρσαις τοῖς ὑπὸ Ὠμάνην καὶ τοῖς ἀπὸ Σμύρνης ἀποσταλεῖσιν ἐπὶ τὴν [φ]υλακὴν τοῦ χωρίου Μενεκλεῖ τε καὶ τοῖς ὑπ' αὐτὸν τασσομένοις τήν τε πολιτεία[ν] | καὶ τἄλλα φιλάνθρωπα ἃ καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς ἐκγ Μαγνησίας ἐψήφισται. κ[αὶ] προνοῆσαι τὸν δῆμον, ὅπως αὐτοῖςδ ιδῶται ἐκ βασιλικοῦ τά τε μετρήματα καὶ τὰ ὀψώνια [καὶ] | τἄλλα ὅσα εἰώθει ἐκ βασιλικοῦ δίδοσθαι αὐτοῖς.

7. τὸ δὲ ψήφισμα τόδε ἀν[αγ]ράψαι εἰς τὰς στήλας τὰς ἀνατεθησομένας ἐν τοῖς ἱεροῖς ὑπό τε τοῦ δήμου καὶ [τῶν] | ἐκγ Μαγνησίας. ἀναγεγράφθαι δὲ αὐτὸ καὶ ἐν τοῖς δημοσίοις.

Pactum inter Smyrnaeos et Magnetes factum est eo tempore quo Seleucus rex Asiae Antiochi Dei filius Antiochi et Stratonices nepos (v. 9) iterum Taurum transgressus erat (v. 2. 12). Quae enim dicitur Σελευκίς regio est septentrionalis Syriae in qua Antiochia, Seleucia, Apamea, Laodicea urbes sitae erant (Strabo XVI p. 749).

Quo autem tempore rex illas expeditiones fecerit, cum expressis uerbis a ueteribus scriptoribus traditum non sit,

paullo accuratius de hac re quaerendum erit. Ac fontes quidem rerum Seleuco II regnante gestarum collegerunt Clintonus (in Fastis Hell. III 311 sq.), Muellerus (FHG III 708 sq.), Droysenus (Gesch. d. Hell. III 1, 378 sqq.). Sed in historia ex his elementis componenda cum adeo inter se dissentiant uiri docti qui hanc operis partem susceperunt, Muellerus (l. c.), Niebuhrius (Scr. min. I 274 sqq.), Droysenus (l. c.), Koehlerus (in Sybelii Hist. Ztschr. vol. 47 [11] 1882 p. 1 sqq.), Koeppius (Mus. Rh. 39, p. 220 sqq.), ut quot capita, tot (ut dicere solent) sensus sint, ipsis nobis quid e disparatis illis elementis effici possit, erit periclitandum.

Atque hoc omnes fere quos nominaui uiri docti perperam, nisi fallor, egerunt, quod cum Seleucus 20 annos regnauerit (a. Chr. 246—226), eo summam operam contulisse uidentur, ut huius temporis spatium satis exiguis illis memoriae fragmentis, quae a Iustino (XXVII), Porphyrio (apud Eusebium I p. 251 sq. ed. Schoene), Hieronymo (in Danielem XI 7—9) nobis tradita sunt, quam maxime explerent[1]. Cui rei multum abesse iudico, ut illa testimonia sufficiant.

Deinde cum in temporum ordine constituendo proficiscendum sit ab eis rebus quae quo tempore gestae sint, certis atque accuratis testimoniis constet, horum cetera quidem ab illis satis obseruata sunt, de eo autem minus recte plerique iudicasse mihi uidentur quod de Attalidarum chronologia, quantum huc pertinet, traditum est. Namque Droysenus — ut ceteros praetermittam — ita iudicauit (l. c. III 2, 12 adn.), quod titulo Nacrasitarum, ciuitatis Pergamenis subditae, hoc praescriptum sit[2]: *βασιλεύοντος Ἀττάλου πρώτου ἔτους μηνὸς Ὑπερβερεταίου,* inde etiamsi titulum ad Attalum I referas, non colligi hunc primo dominationis anno diadema sumpsisse. Qua de re contra iudico ratione habita Polybii XVIII 41 (24 Bk.) et Strabonis (XIII p. 624) dynastarum et regum Pergamenorum enumerationis. Nam quamquam hoc manifestum est Attalum priusquam regium nomen assumpserit, dominationem per aliquod tempus gessisse, quam una cum thesauro Pergameno hereditate patruelis ei reliquerat — alioquin

[1] Cf. Niebuhr l. c. p. 281.

[2] CIG 3521.

enim Polybius uix affirmasset, diuitias ei regni nanciscendi facultatem praebuisse —: nulla tamen huius rei ratio habetur in sollemni annorum computatione Pergamenorum. Strabo enim illo loco Apollodori chronicon secutus esse uidetur, qui siue ex Eratosthene siue ex ipsa actorum publicorum memoria hauserit, certe sollemnem et publicam annorum computationem rettulit. In qua cum Philetaero 20, Eumeni 22, Attalo 43 anni tributi fuerint, non dubitabimus in hunc modum temporum ordinem constituere, ut eum annum quo Lysimachus decessit, primum Philetaeri faciamus, scilicet a mense Dio 282 usque ad mensem Hyperberetaeum 281, ita ut 262/1 fiat Eumenis primus, 240/39 primus Attali, 198/7 eiusdem 43. Nam autumno a. 197 Attalus mortuus est teste Polybio (l. c. cf. Liv. 33, 21). Quae cum ita sint, si deprehendas titulo illi, quem post Boeckhium Attali I aetati nemo non tribuit, sollemniter praescriptum *βασιλεύοντος Ἀττάλου πρώτου ἔτους μηνὸς Ὑπερβερεταίου,* sine dubio scriptus est ille titulus mense ultimo anni 240/39, atque regnum etiam tum temporis Attalus susceperat. Tempus igitur quod intercedebat inter Eumenis mortem et regni Attali initium, annuum spatium non superasse et sollemni computatione inter Eumenis anni ultimi partem posteriorem et regni Attali anni primi partem priorem diuisum esse uidetur. Atque hoc modo facile explanatur, quo iure Polybius, cuius minus intererat sollemnem annorum computationem Pergamenorum quam ueram temporum rationem referre, 44 annos Attalo tribuere potuerit. Quod enim idem (l. c. § 7) dicit: *νικήσας μάχῃ Γαλάτας — ταύτην ἀρχὴν ἐποιήσατο καὶ τότε πρῶτον αὑτὸν ἔδειξε βασιλέα* (cf. Strab. XIII 624: *ἀνηγορεύθη βασιλεὺς πρῶτος νικήσας Γαλάτας μάχῃ μεγάλῃ*), quo modo haec intellegenda sint, Iustini uerbis docemur (l. c. 3, 1—6): „Victo Antiocho cum Eumenes (hunc pro Attalo errore nominat: cf. Trogi prol.) maiorem partem Asiae occupasset, etc.“ Recte igitur Koehlerus de ea re ita iudicauit, non tam propter Gallos fugatos, quam quoniam uictis Antiocho Gallisque totum fere illius regnum occupauerit, Attalum regium nomen assumpsisse[1].

[1] Dum haec typis exprimuntur, accepi Koeppii commentarium (Rh. Mus. 40 p. 114 sqq.), quo hanc Koehleri sententiam refellere conatus est; sed mihi non persuasit.

Quod cum fieri non potuerit nisi temporis spatio aliquo interiecto, nulla alia uia relicta esse uidetur qua et testimonia illa inter se concilies et rerum ipsarum uerae rationi sufficias nisi ut statuas, Eumenem initio fere anni a. Chr. 240 decessisse, haud ita multo post (cf. Polyb. l. c. *ταύτην ἀρχὴν ἐποιήσατο*) Attalum Antiochum Gallosque apud Pergamum superasse, et initio fere a. 239 regium nomen assumpsisse. Itaque a pugna Pergamena usque ad Attali mortem plus 43 annos inuenies, quamquam Attali regni annus primus continuo sequitur dominationis Eumenis annum ultimum.

Tum parum operae dedisse uidentur ei uiri docti qui de his rebus scripserunt, ut scriptorum testimonia cum eis quae ex ipso titulo efficiuntur, conciliarent.

Nam non solum id ex hoc titulo colligimus, Magnesiam Sipylenam in ciuitatium earum numero fuisse quae cum, teste Iustino, initio regni Seleuci ab eo defecissent, postea in eius fidem redierunt: sed cum eo tempore quo rex primum in Seleucidem profectus est, Smyrnaei illius socii fideles magno opere ab hostibus se laborasse profiteantur, quando pactum hoc conuenit, magna iam rerum commutatio facta esse uidetur. Praeterea tenendum est, eo tempore quod inter duas expeditiones intercessit, Seleucum bonam fidem sociorum gratia ac praemiis ornasse, et legatos ad reges ciuitatesque misisse. Denique alterius expeditionis tempore et Magnesiam ad Maeandrum sitam et Gryneum ciuitates in fide regis fuisse apparet, cum ibi cippos quibus pactum inscribatur, erigendos esse Smyrnaei et Magnetes constituant (v. 84 sq.).

Quibus rebus, ad locum huius pacti in rerum gestarum ordine significandum satis aptis, nonnulli uiri docti parum recte usi esse uidentur.

Nam primum quidem Droysenus et Koeppius regem eo tempore in Seleucidem profectum esse autumant, cum primum Ptolemaeus Syriam ingressus esset, scilicet ut illi occurreret. Cui coniecturae repugnant Polyaeni uerba (VIII 50) *ἀπὸ τοῦ Ταύρου μέχρι τῆς Ἰνδικῆς χωρὶς πολέμου καὶ μάχης ἐκράτησεν.* Quae etiam si parum accurate dicta esse censeas, tamen nulla

in fontibus occurrit significatio tum temporis inter Seleucum et Ptolemaeum armis certatum esse [1].

Deinde cum Antiochus Seleuci frater paullo post pugnam apud Ancyram commissam, teste Eusebio, Magnesiam (eam ut uidetur quae ad Maeandrum sita erat) fugeret, haec in Ptolemaei potestate erat. Qua ex re hoc colligam pugnam Ancyranam factam esse antequam ciuitates Asiae in Seleuci fidem reuerterentur.

Nam in eo totius fere rei summa uersatur diiudicando, utrum pugna Ancyrana pacem inter Seleucum et Ptolemaeum factam praecesserit an secuta sit [2]. Cum enim Iustinus bellum inter Seleucum et Antiochum fratrem non nisi post pacem illam exarsisse fecerit, Niebuhrius et Koehlerus eundem temporum ordinem secuti sunt, quam sententiam contra Droysenum, qui cum Muellero autumauit pugnam Ancyranam praecessisse, expressis uerbis Koeppius defendit (p. 227): cauendum enim esse, ne Iustini uerbis, qui omnium planissime rerum conexum exposuerit, uim adferamus. Quamquam ortum esse bellum fraternum ante bellum Aegyptiacum finitum, Koeppius ipse eis quas Niebuhrius (p. 277) primum adtulit argumentis usus contendit contra Iustini testimonium

[1] Quod Koeppius (p. 221) e monumenti Adulitani uersibus 13 sqq. effecisse sibi uisus est, Euergeten ipsum Tauro monte traiecto ad Hellespontum et in Thraciam usque progressum esse, minime probari potest, cum id quod classis Aegyptiae duces regis iussu fecerunt, sollemni illius tituli sermone regi ipsi adtribuatur.

[2] Certe Muelleri coniectura, quam Koehlerus repetiit, repudianda esse uidetur, eo tempore satis breui quod inter Callinicopolin conditam et Orthosiam obsessione liberatam intercessit, illam pugnam factam esse. Callinicopolis enim condita est C. Lutatio C. f. C. n. Catulo A. Postumio A. f. L. n. Albino consulibus, scilicet inter uer 242 et uer 241. cf. Droysen III, 1 p. 391. Chron. pasch. I p. 330 Ddf. Ideler, Chronol. II p. 463, qui ab aequinoctio uerno illius chronici annos incipere docuit. Orthosia teste Eusebio (l. c.) obsessione liberata est ol. 134, 3 i. e. inter autumnum 242 et autumnum 241. Nam quod A. de Gutschmidt (De temporum notis quibus Eusebius utitur. Kiliae 1868) et Droysenus (III 2 p. 367 sqq.) Porphyrium et Eusebium annis Iulianis usos esse contenderunt, eis quae adtulerunt argumentis probasse mihi non uidentur. Quapropter Idelerum potius (II 466) et Clintonum (Fast. Hell. I p. 150) secutus sum, qui Eusebium ab autumno annos incipere docuerunt.

(p. 223 sq.). — Iam hoc manifestum est, Trogum duo illa bella inter se separata narrasse, primum quidem Aegyptiacum, deinde fraternum, id quod diserte docemur prologo 27: „XXVII uolumine continentur haec: Seleuci bellum in Syria aduersus Ptolemaeum: item in Asia aduersus fratrem suum Antiochum Hieracem.“ Qua ex re ipsa tamen multum abest, ut tempore quoque ea separata fuisse efficiatur. At Iustinus inter haec bella etiam eum conexum constituit, ut bellum fraternum quasi e pace Aegyptiaca ipsa ortum esse uideatur. Sed huius scriptoris uerbis non tantum tribuam, ut si grauiores causae inueniantur quibus ad contrariam sententiam adducamur, non huius uerborum figuris potius quam rerum ipsarum conexui et rationi diffidam.

Nam Orthosiam obsessione Aegyptiorum liberatam esse post pugnam apud Ancyram commissam, Eusebius diserte testatur. Cui testimonio quod ad hanc quaestionem diiudicandam Koehlerus ita uim detrahere conatus est, ut pacem a Ptolemaeo uiolatam esse autumaret, huic coniecturae locum non esse duco, non tam quia Orthosia fortasse ipsa pace Aegyptiis adiudicata est[1], quam quoniam temporis spatium quod intercessit inter Ptolemaei primam Syriae inuasionem (246) et Orthosiam obsessione liberatam (242/1), rebus gestis ita minime sufficere uidetur. Qua in re recte aestimanda bene obserues Danielis qui fertur uerba (XI 8 sq.), quae secundum rectam interpretationem haec sunt: „et annos aliquos desistet a rege Aquilonis (scilicet Ptolemaeus), et intrabit in regnum regis Austri (scilicet Seleucus) et reuertetur ad terram suam.“ Itaque

[1] Hoc enim pro certo haberi nequit, cum e Polybii V de ea re nihil efficiatur, quamquam qui fines in hac pace fere constituti sint, inde colligas. (In terra mediterranea Laodicea ad Libanum sita ultima meridiem uersus Seleucidarum urbs erat: c. 45, 7. 8; 46, 2. In ora maritima Aradus Seleucidis, Calamus Ptolemaeis parebat: 68, 8. cf. infra p. 82 adn.). Strabo a septentrione ad meridiem progrediens XVI 753: *τούτοις*, inquit, (Aradiis) *ἡ Ὀρθωσία συνεχής ἐστι καὶ ὁ Ἐλεύθερος ὁ πλησίον ποταμός, ὅνπερ ὅριον ποιοῦνταί τινες Σελευκίδος πρὸς τὴν Φοινίκην καὶ τὴν Κοίλην Συρίαν*, et mox 754: *Μετὰ δὲ Ὀρθωσίαν ἐστὶ καὶ τὸν Ἐλεύθερον Τρίπολις.* Kiepertus tamen (Atl. ant. III) Eleutherum magis ad septentrionem uersus posuit quam Orthosiam. — Praetera utut haec sunt, maritima loca quaedam, ut Seleuciam, Ptolemaeum retinuisse constat, de singulis urbibus nihil.

si duos tantum annos Ptolemaeum in peragrandis regni Asiatici terris consumpsisse faceremus, duos annos tranquillitati et Seleuci expeditioni adtribueremus, tamen ad annum 242 perueniremus, quo pax facta esset. Quae cum ita sint, facere non poteris, quin Eusebii uerba, quibus Orthosiam (et Damascum?[1]) anno 242/1 obsessione liberatam esse dicit, referas ad ipsam expeditionem Seleuci in Coelen Syriam factam. Neque minus dubito, quin huc referenda sit altera earum expeditionum Seleuci in quibus teste titulo Smyrnaeo (v. 2. 12) ex Asia minore Taurum traiecit; quam memineris susceptam esse, cum eius res in meliorem condicionem redactae essent.

Restat ut Koeppio respondeam, qui Eusebiano temporum ordini diffisus pugnam Ancyranam post Orthosiae liberationem commissam esse conicit. Nam cum facta sit illa pugna ante Seleuci expeditionem quam Babylone contra Parthos suscepit, quam expeditionem Droysenus (p. 400 adn.) rectissime anno 239 tribuit, Koeppius eo redactus est, ut pacem quidem 241 factam esse, deinde bellum fraternum denuo exarsisse dicat, in quo Seleucus apud Ancyram deuictus sit. Tum post hanc cladem ipsam Seleucum contra Parthos profectum esse autumat. Qua in re hoc opinor neglexit, Seleucum antequam Babylone contra Parthos proficisceretur, necessario Xanthippum superasse et Babyloniam in potestatem suam redegisse: quod factum esse tam breui tempore post cladem ipsam in Asia minore acceptam, minime probari potest. — Ceterum quanti ad chronologiam harum rerum recte intellegendam momenti sit Iustini 41, 4, Koeppius ipse suo iure monuit p. 227 sq.

Accedit ut supra commemoraui, quod paullo post pugnam Ancyranam etiam Magnesia (Maeandria) in Aegyptiorum potestate erat.

Denique cum post illam cladem Seleucum trans Taurum fugisse constet, non dubito huc referre tituli uerba *πρότερόν τε καθ' ὃν καιρὸν ὁ βασιλεὺς Σέλευκος ὑπερέβαλεν εἰς τὴν Σελευκίδα* (v. 2), cum eo tempore nimirum res Seleuco in Asia minore aduersissimae fuerint.

---

[1] De ea Zohrabii et Petermanni uersiones Eusebianae inter se dissentiunt.

Quae cum ita sint, in hunc modum rerum ordinem componendum esse censeo:

Seleucus cum patre mortuo regnum susciperet, undique aduersis rebus opprimebatur. Nam cum Parthi iam L. Manlio Vulsone C. Atilio Regulo consulibus = a. Chr. 250 seditionem mouissent[1], tunc Ptolemaeus Syriam usque ad Taurum montem et deinceps terras superiores trans Euphratem occupauit, classis Aegyptia Chremonide duce[2] Ciliciam et urbes in Asiae minoris et Thraciae ora maritima sitas partim ui, partim ciuitatibus a Seleuco deficientibus cepit. Atque eo tempore etiam Magnesiam Sipylenam desciuisse ueri simile est. Denique Antiochus Seleuci frater, quamquam non plus quam XIV annos natus[3], adiuuante eum matre[4] et matris fratre Alexandro, Lydiae praefecto[5], regni partem sibi uindicauit, regio nomine assumpto, et armis cum fratre dimicauit. Atque Seleucus primum quidem Hieracem, qui Gallorum mercennariorum numerum satis magnum conduxerat, in Lydia superauit (246)[6], sed neque Sardes, quas Alexander, neque Ephesum, quam Aegyptii tenebant, obsessione capere potuit. Deinde Mithridatem, a quo Antiochus auxilium interea impetrauerat, in Cappadocia congressus deuicit (245).

Interea Ptolemaeus Syria et Mesopotamia captis (246) superiores Asiae partes inuaserat, Babyloniam, Susianam, Mediam, Persiam peragrabat (245/4), undique sacra quae

---

[1] Iustin. 41, 4, 3. cf. Droysen III 1, 364sq. Appianus, qui Syr. 65 ei tempori hoc tribuit quo Ptolemaeus regnum Seleuci inuaderet, regni Arsacidarum initium potius quam primam defectionem spectare uidetur.

[2] Monum. Adulit. v. 9. Niebuhr Scr. min. I p. 453 sqq.

[3] Ad hoc tempus cum Koeppio (p. 224) Iustini uerba 27, 2, 7 referenda esse censeo.

[4] Plutarch. de frat. amore p. 489 A. Droysen l. c. p. 389. Ceterum animaduertas, quod Hieronymus l. c. dicit 'Callinici qui cum matre Laodice regnabat in Syria.'

[5] Aucher ad Euseb. l. c. (I p. 346). cf. Schoene I p. 251 adn. 3. Niebuhr l. c. p. 280 sq. Waddington ad titulum Bargyliensem Le Bas, Asie min. 87 v. 47. Koepp l. c. p. 224.

[6] Annorum numeris quos rerum gestarum narrationi inserere conatus sum, plerisque non maiorem quam coniecturarum fidem tribuas.

Aegyptiis quondam a Cambyse sublata erant, secum ferebat[1]. Paucis autem annis ante Theodotus Bactrianae praefectus a Seleuco defecisse et rex appellatus esse uidetur. Parthorum rebellantium imperium, sublato regio praefecto, Arsaces susceperat (248/7). Utrosque contra Seleucum rebellantes ad Ptolemaeum legatos misisse eiusque imperio se subiecisse e monumenti Adulitani v. 19 sq. conicias. — Sed fanis profanis ubique direptis, motibus domesticis tandem in Aegyptum Euergetes reuocatus est (244/3). Ingentes auri et argenti copias, quas tributorum nomine ab incolis illarum regionum exegerat, domum reportauit: terras autem ipsas praeter Syriam cum se retinere non posse intellegeret, superioribus Asiae regionibus Xanthippum quendam praefecit, Ciliciam Antiocho donauit.

Eo autem tempore, quo Ptolemaeus in superioribus Asiae partibus uersabatur, Seleucus ab Antiocho et Mithridate Gallorum ope tanta clade apud Ancyram deuictus est (244), ut uix trans Taurum euaderet: quin etiam ipse occidisse credebatur[2]. Quo tempore eas ciuitates Asiae quae in regis fide permanserant, ualde ab hostibus tam Aegyptiis quam Antiochi militibus et ipsorum uicinis qui a Seleuco defecerant, oppressas esse[3] consentaneum est, neque mirabimur, si Smyrnaei in laude sibi ponunt, quod tum temporis in proposito perseuerarint. Rex per Ciliciam[4] fugiens in Seleucidem profectus est. Exercitus reliquias paullatim collectas secum duxit.

Syriae quidem septentrionalis ciuitates quasdam etiam tum in potestate habuisse uidetur. In quibus Aradios fuisse censeam, quos contra Antiochum fratrem Seleuco fauisse Strabo testatur[5]. Primum quidem eum operam dedisse ut Seleucidem totam recuperaret, ueri simile est (244 sq.).

[1] Cf. etiam titulum Aegyptium Hicks, Gr. Hist. Inscr. 179 v. 10 sq.

[2] Euseb. l. c. Iustin. c. 2, 11. Trogi prol. Plut. de frat. am. p. 489 A. Polyaen. IV 9, 6. Phylarch. ap. Athen. XIII 593 c = Polyaen. VIII 61.

[3] In earum numero Erythras quoque fuisse haud male Lamprechtus coniecit e titulo Erythraeo Dittenb. Syll. 172. Droysen III 1, 393.

[4] Polyaen. IV 9, 6.

[5] XVI 754.

Atque eo tempore cum toto fere regno priuatus esset, Rhodiorum praecipue ope, cum quibus tum societatem habebat[1], adiutus esse uidetur. Rhodii enim mari cum Aegyptiis certabant[2]. Quorum auxilio uel classem ad ciuitates Asiae minoris recuperandas parare potuit (242): quae quamquam interiit, tamen ciuitatium magna certe pars, cum Ptolemaeus domum reuersus nihil susciperet, intestinis rebus fortasse etiamtum occupatus, neque minus quoniam Aegyptiorum auaritia et insolentia opprimebantur, simulque cum in Asia minore res interea admodum immutatae essent (ut statim significabo), in Seleuci potestatem redierunt, scilicet alia post aliam: quarum Magnesia Sipylena in nouissimis fuerit. Pactum enim Smyrnaeorum et Magnetum insequenti demum anno conuenit, cum rex iterum in Syriam profectus esset. Animaduertendum autem est, ut supra dixi, Seleucum illo tempore legatos ad reges, dynastas, ciuitates, nationes misisse (tituli v. 11 sq.). Paullo enim post proelium Ancyranum Mithridatis amicitiam sibi comparasse uidetur, sorore ei in matrimonium data et Magna Phrygia dotis loco concessa[3]. Quapropter Antiochus inimicitia cum socio pristino suscepta Magnam Phrygiam peragrans diripuit[4]. Atque cum Pergamenorum quoque dynasta illo tempore Seleucum societatem iniisse, haud male Koehlerus[5] coniecit. Idemque de Ziela Bithynorum rege, cuius sociam Heracleam urbem Ptolemaeus donis ad defectionem impellere conatus erat[6], inde suspicer, quod Zielas paullo post a Gallis Antiochi auxiliariis interfectus est[7].

---

[1] Phylarch. ap. Athen. XIII p. 593 c = Polyaen. VIII 61.

[2] Polyaen. V 18.

[3] Iustin. 38, 5, 3.

[4] Euseb. l. c. Koehler p. 9.

[5] ibid.

[6] Memnon ap. Photium p. 229 a (Bk).

[7] Trogi prol. — Fortasse etiam Senatus Populique Romani auxilium illo tempore Seleucus implorauit, si quidem huc referas epistulam senatus quam Suetonius commemorat (Claud. 25) 'Seleuco regi amicitiam et societatem ita demum pollicentem, si consanguineos suos Ilienses ab omni onere immunes praestitisset'. Quae coniectura Niebuhrio debetur; cf. Droysen III 1, 387 adn.

Itaque Seleucus, paullo antea omnibus opibus destitutus, iam res suas in meliorem condicionem sociis illis paratis redegit; quin etiam ciuitatibus Graecis quae in fide permanserant, consulere potuit. Smyrnaeis enim tum temporis ius asyli a regibus, dynastis, ciuitatibus, nationibus confirmandum curauit. Ipse in Asiam minorem reuertit, unde mox denuo exercitu parato in Syriam descendit.

Antiochus interea, cum Seleucus primum in Syriam profectus esset (244), initio quidem totius fere Asiae minoris dominus uidebatur, deinde Mithridati infestus Phrygiam, ut dixi, praedatus erat. Exercitum contra fratrem eum misisse Eusebius testatur, qui exercitus quousque progressus sit, et quomodo rem gesserit, nescimus. Galli autem Hieracis mercennarii mox in ipsum uictorem arma uerterunt 'liberius, ut inquit Iustinus, depopulaturi Asiam, si omnem stirpem regiam exstinxissent'. Antiochus a suis satellitibus barbaris traditus, uix cum paucis Magnesiam (ad Maeandrum) profugit, quae tum in Aegyptiorum potestate erat; inde auxilio accepto, Gallorum manum quandam deuicit, cum ceteris pactum iniit, ea fortasse condicione ut terras eis adsignaret[1] (244 vel 243). Deinde quidnam gesserit Antiochus, ualde in obscuro est. Fortasse cum Mithridate bellum gerebat. Nam in occidentalibus Asiae minoris partibus subsequenti tempore uersatus non esse uidetur, cum ibi Seleuco iam ciuitates fauere coeperint. Certe anno 242 Seleucus ex Asia minore in Syriam expeditionem fecit, atque paullo post, scilicet mense Lenaeone[2] i. e. Ianuario fere hiemis 242/1 Smyrnaei cum Magnetibus sympolitiam fecerunt, eo consilio ut uicinis in regis potestatem reconciliatis gratias ab illo mererentur, simulque ab hostibus se liberarent[3]. Eo tempore Magnetes sociis destitutos fuisse ueri simile est.

Seleucus Tauro traiecto trans Euphratem progressus, ad auctoritatem suam in his regionibus firmandam in ipsa

---

[1] Koehlerus hoc coniecit p. 9. cf. Eusebii l. c. cum Iustini c 2, 11 sq.

[2] Mensem Lenaeonem Attico Gamelioni respondere Boeckhius docuit: Scr. min. V 65 sqq.

[3] Cf. imprimis tituli v. 92 sq.

fluminis ripa urbem condidit, quam *Καλλινίκου πόλιν* appellauit. Herculis igitur Callinici nomen uel hoc ipso uel ante hoc tempus eum assumpsisse apparet: quod quando factum sit, accuratius definire non licet. Certe tota Seleucis praeter loca maritima quaedam illo tempore in regis potestate fuisse uidetur. Deinde Orthosiam ciuitatem in ipsis finibus Seleucidis et Phoenices sitam, quae cum etiam tum ei faueret, ab Aegyptiis obsessione premebatur, liberauit: atque iam maxime auctis suis rebus ultro Ptolemaeum aggressus est, inuasione ut uidetur in Coelen Syriam facta. Sed 'uictus proelio (secundum Iustinum[1]) non multo quam post naufragium comitatior trepidus Antiocheam confugit' (241). Tum iterum opibus destitutus, denuo ad salutem in foedere quaerendam redactus est. Quapropter cum Antiocho transigere conatus, Asia minore intra Taurum ei concessa fratris opem contra Ptolemaeum implorauit. Quod tamen pactum num re uera perfectum sit, non apparere rectissime monet Koeppius. Certe Euergetes, qui aliis nescio quibus rebus per totum hoc temporis spatium occupatus fuisse uidetur, ueritus 'ne cum duobus uno tempore dimicaret, in annos decem cum Seleuco pacem facit'[2] (241).

Nec multo post ab Antiocho bellum fraternum renouatum est. Pergamenos societate cum Seleuco coniunctos Gallorum mercennariorum ope Hierax satis oppressisse uidetur (240). Eumene autem circa illud tempus mortuo Attalus in dominationem patrueli successit, qui apud Pergamum Antiochum Gallosque magna illa clade deuicit, quae postea tot magnificentissimis artis monumentis illustrata est. Huius igitur socii ope confisus Seleucus interea ut orientales regni partes recuperaret operam dedit. Mesopotamiam, Babyloniam, Susianam eo anno in potestatem redegisse uidetur, cum insequenti (239) Babylone contra Parthos expeditionem pararit[3]. Quorum imperio suscepto (248/7) regioque nominea ssumpto, Arsaces

---

1 C. 2, 5.

2 Iustin. c. 2, 9.

3 Iustin. 41, 4. Agatharchides ap. Ioseph. c. Ap. I 22 (VI p. 205 Bk.)

Hyrcaniam quoque occupauerat: potestatemque quam obtinuerat etiamtum tuebatur. Iam cum Seleucum ad orientem recuperandum aggredi uideret, Theodoto Bactrianae regi illo tempore infestus, ut utrique resisteret se parauit (240). „Sed cito morte Theodoti metu liberatus, cum filio eius, et ipso Theodoto, foedus ac pacem fecit, nec multo post cum Seleuco rege ad defectores persequendos ueniente congressus uictor fuit: quem diem Parthi exinde sollemnem uelut initium libertatis obseruant" (239)[1].

Interea Stratonice, Antiochi Seleuci patris soror, quae a Demetrio marito Macedonum rege repudiata (239) Antiochiam uenerat, ut Seleucum qui Babylone tum expeditione Parthica paranda occupatus erat, ad ipsam in matrimonium ducendam et ad bellum contra Macedones suscipiendum incitaret, cum a nepote neglegeretur, seditionem mouerat[2].

Simulque quod maioris momenti erat, Attalus uictis Antiocho Gallisque et maiore Asiae minoris parte expugnata regis nomen assumpserat (239), suarum rerum potius quam Seleuci socii studiosus. Quibus motibus prohibitus, quominus denuo contra Parthos armorum fortunam periclitaretur, Seleucus in Asiam minorem reuertit[3] (238). Atque tum temporis fortasse Antiocho, quem Attalus ex Asia minore fugauerat, in Mesopotamia obuiam factus atque armis congressus uictoriam parauit. Qua Antiochus ad Ariamenem Cappadociae regem fugere coactus est.

Hoc loco cum memoriae fragmenta fere deficiant, per reliquum regni tempus Seleucidem Syriam, Mesopotamiam, Babyloniam, Susianam, Mediam, Persidem Seleucus in pace possedisse uidetur. De Asia minore autem Antiochus usque ad uitae finem (228/7) cum Attalo contendebat.

Quae res cum ad nostrum propositum iam non pertineant, ad ciuitates Graecas reuertamur. Quarum tractandarum rationem quam et Alexander et eius exemplum sectatus Antigonus ingressus erat, quomodo reges Seleucidae non so-

---

[1] Iustin. l. c. § 9. 10.

[2] Agatharchides l. c. Iustin. 28, 1.

[3] Iustin. 41, 5, 1.

lum diligenter imitati sint, sed etiam nouas uias in eodem cursu persequendo sibi aperuerint, hoc titulo diserte docemur: neque minus ciuitatium quasdam haud inuitas eis se praebuisse, immo artissima cum illis coniunctione inita suo commodo consuluisse, Smyrnaeorum exemplum docet. Quamquam multae eo ipso tempore quo Seleucus regnum suscepit, dominationem Aegyptiam experiri maluerunt. Nam suis uiribus iam nulla fere, si a maritimis quibusdam ciuitatibus uelut Rhodo recesseris, niti poterat, postquam ampliores arenas rebus gerendis Macedones aperuerant, ac potentiores pugnatores quam ciuitates et reguli in eas descenderant, — praesertim cum ad inueniendam et constituendam aliquam societatis formam qua communia sua commoda una consistentes grauiter defenderent, inutiles prorsus et hebetes Graeci Asiae se praestarent. Quam cito autem ciuitates quae ad Aegyptios defecerant, errorem suum agnouerunt! Nimirum in illa rerum publicarum regendarum ratione, ubi circa unum Solem omnia uertebantur, ad unum omnia uergebant, ubi per procuratores regios omnia fiebant, in ordines accuratissime distributos, ciuitatium liberarum nullus erat locus. Ex contrario Asiam reges per satrapas semper administrabant, a quibus nihil fere nisi tributa ad tempus soluenda poscebant. Quo magis ab his regibus sociorum liberorum iura — nomine saltem — Graecis concedi poterant. Neque testimonia nobis deficiunt quibus uelut tituli huius uersu 10 sq. doceamur Seleucidas populares partes diligenter fouisse, atque inuicem a plebeis diuinis cultibus honoratos esse[1]. Is enim more orientalium

[1] Hicks, Gr. Hist. Inscr. 174: [Populus Iasensium sciuit. Quod Antiochus Magnus iubens Iasenses] [τὴν δημοκρ]α[τ]ίαν καὶ αὐτονομίαν διαφυλάσσειν, γέγρ[αφε] πλεονάκις τῶι δήμωι περὶ τούτων, ἀκόλουθα πράσσων τῆι διὰ πατέρων ὑπαρχούσηι αὐτῶι πρὸς τοὺς Ἕλληνας εὐεργεσίαι, ὅ τε θεὸς ὁ ἀρχηγέτης τοῦ γένους τῶμ βασιλέων συνεγμεμαρτύρηκεν τῶι βασιλεῖ παρακαλῶν μεθ' ὁμονοίας πολιτεύεσθαι, κτλ. — Atque Seleuci I eiusque filii Antiochi uoluntatem erga Milesios uide CIG 2852 = Dittenb. Syll. 170. Qui titulus iniuria Seleuco II uulgo tribuitur, quoniam qui v. 7 sq. commemorantur βασιλεῖς Σέλευκος καὶ Ἀντίοχος, eos Chishullius iudicauit Seleucum II et Antiochum Hieracem esse. Sed hos inde a regni initio inimicissimos inter se fuisse, supra exposui. Antiochum I autem patre superstite regio nomine usum esse, Appianus testatur Syr. 59. Ceterum cf.

hominum iam usitatissimus modus erat Graecas ciuitates regum rebus et commodis adnectendi: uelut Smyrnae Antiochus II et mater eius Stratonice colebantur. Atque quo pacto modeste primum, tum audacius illae regum apotheoses, quae exordium et exemplum nimirum ab Alexandro per Iouem Ammonem consecrato ceperant, in religiones ciuitatium publicas se insinuarint, eo haud male illustratur, quod Stratonice Veneris, Antiochus suo nomine Smyrnae adorabatur.

At nouam formam ciuitates sibi adiungendi Seleucus ut uidetur inuenit, qua inde ab eo tempore saepissime et amplissime reges Asiae usi sunt, ius asyli scilicet, quod non solum Veneris Stratonicidis fano (quod nimirum ipso sacrorum iure *ἄσυλον* erat), sed Smyrnaeorum urbi ipsi condonatum a regibus, dynastis, ciuitatibus, nationibus confirmandum curauit, ut et gratiae uinculis artius ciuitatem sibi coniungeret, et Antiochi et Aegyptiorum uim, imprimis autem Gallorum rapacitatem, qua illo tempore Asia laborabat, ab eis defenderet [1].

locos a Boeckhio citatos: Appian. Syr. 56. Diod. XIX 90. Pausan. I 16, 3. VIII 46, 2. — Quae autem necessitudines intercesserint inter Antiochum I et Ilienses apparet e titulis CIG 3595 = Dittenb. Syll. 156; 3596 = ibid. 157. Rex Ilii cultu diuino instituto consecratus erat (156, 26). — Antiochus II Erythraeis libertatem et immunitatem concessit (Dittenb. Syll. 166). Plebis praecipue studium erga regem praedicatur v. 8, Seleuci et Antiochi beneficia in ciuitatem collata v. 9 sq. — Appian. Syr. 65: *Ἀντίοχος* (II) — *ὅτῳ Θεὸς ἐπώνυμον ὑπὸ Μιλησίων γίγνεται πρῶτον, ὅτι αὐτοῖς Τίμαρχον τύραννον καθεῖλεν.* Cf. Droysen III 1, 330. Quamquam Iosephi locus quem ille citat, obscurior est (Antiq. XII 3, 2).

[1] Cf: Tacit. Ann. III 60--62. IV 14. Le Bas, Asie min. 60—85. Usener Rh. Mus. 29 p. 38 sq. cum appendice VI (p. 50). Eckhel IV 306 sqq. Aradiis et ipsum Seleucum eadem de causa atque Smyrnaeis ius asyli praestitisse ea condicione, ne quem qui aulam regiam fugiens eo iure usus esset, inuito rege urbe excedere paterentur, Strabo XVI 754 testatur, idemque commoda quae inde ciuitati orta sint, exponit. Postea Antiochus III Teiorum uoluntatem sibi comparauit eo, quod a Cretensibus et Aetolis imprimis ius asyli eis confirmandum curabat, nimirum cum illi praecipue maritimis latrociniis non abstinere solerent. — Atque quanti illud ius ciuitates fecerint, praeter Taciti locos citatos, et Teiorum legationes ad minimas ipsas ciuitates missas, nummi ostendunt, in quibus ius asyli significabant. Ut enim Teii Bacchi (Eckhel II p. 563), ita Smyrnaei Veneris Stratonicidis imaginem, asyli patronae, nummis impressisse uidentur. Hanc enim esse iudico figuram illam muliebrem quae in nummis Smyrnaeis saepissime occurrit, stantem, inter-

Smyrnaei igitur socii liberi regis erant: non eadem Magnetum condicio, quamquam et ipsi sociorum nomine utebantur: v. 19. 37. De qua ut certius aliquid efficiamus, accurata huius tituli interpretatione opus est.

Qui enim in eo saepissime commemorantur *οἱ ἐμ Μαγνησίαι κάτοικοι*, de eis Boeckhius ad v. 14 haec adnotauit: „Duo tantum genera hominum qui Magnesiae sint, distinguuntur, alteri *οἱ κάτοικοι*, alteri *οἱ ὕπαιθροι ἱππεῖς καὶ στρατιῶται*: illi sunt quicunque firmam Magnesiae sedem habent, „hi castrenses apud Magnesiam in statiuis degentes, ut *τὰ ὕπαιθρα* Polybiano usu castra fere significat, distincta ab „urbibus arcibusque. Eodem modo v. 21 *κάτοικοι* et *ὕπαιθροι* „simpliciter distinguuntur. Sed posthac v. 35 *κάτοικοι* generale est, iique *κάτοικοι* diiuiduntur in tria genera, *τοὺς κατὰ πόλιν ἱππεῖς καὶ πεζούς, τοὺς ἐν τοῖς ὑπαίθροις* (scilicet *ἱππεῖς καὶ πεζούς*) et *τοὺς ἄλλους οἰκητάς* (ciuiles non militares). Sic etiam „vs. 43—45 distinguitur, quamquam ibi ita dictum uidetur, quasi „soli pedites et equites qui in urbe et castris essent, uocarentur „*κάτοικοι*, non etiam ciuiles incolae: sed hoc tamen tantum per „neglegentiam aliquam accidisse iudico.“ Atque paullo post addit: v. 49 „omnes milites, etiam castrenses, comprehenduntur „*τοῖς (ἐκεῖ) κατοίκοις*, et oppositi sunt *οἱ ἄλλοι οἰκηταί*, qui tamen „et ipsi *κάτοικοι*.“ Itidem quod v. 47 legitur *οἱ ἀποδειχθέντες ὑπὸ τῶν ἐμ Μαγνησίαι κατοίκων ἄνδρες*, omissum esse *ἄλλων* censuit, uocem *κάτοικοι* interpretatus de incolis ciuilibus, ut v. 84 de omnibus Magnesiam habitantibus. Atque de uersibus 59 sq., 71 sq., quin etiam de 73 sq. non secus ac de 35 sq. iudicauit:

---

dum columnae innixam, uelatam, tum tutulo tum calatho siue modio ornatam, sinistra Victoriolam, dextra sceptrum interdum tenentem, ad cuius pedes auicula est, nimirum columba. Neque quod Mionnetus (Descr III. p. 218 sq. Suppl. VI p. 328) Astarten eam dicit, huic opinioni repugnare uidetur. Columba autem ut Veneri ei adtributa est, eandemque modio non raro ornatam esse Prellerus docet (Gr. Mythol. I³ 305). Tutulus uel diadema sceptrumque reginam notant. Victoriola nomen Stratonices significat. Quamquam columna quid sibi uelit nescio. — Praeter autonomos in Augusti et Tiberii nummis ea inuenitur: cf. Taciti l. c. Descripsit Eckhel II p. 537. 539. 546. 548. Mionnet, Descript. III p. 189 sq. n. 909. 1056—1091. 1215 sq. 1221. 1225. Suppl. VI p. 301 sqq. n. 1515. 1517 —1545. 1625 sq. 1629 sq. Planche V n. 3.

v. 92 autem ita interpretatus est, ut distingueret *τοὺς κατοίκους καὶ ὑπαίθρους ἱππεῖς, τοὺς πεζούς* (tam *κατοίκους* quam *ὑπαίθρους*), denique *τοὺς ἄλλους*.

In his partem tantum ueri uidisse uirum doctissimum iudico, atque antequam tantam dicendi neglegentiam quantam Boeckhius in sollemni actorum publicorum sermone statuamus, uidendum, nonne accuratiore interpretatione uerborum usum sibi ipsi conciliare possimus. Nam v. 73 sq. diserte habes primum *τοὺς ἐμ Μαγνησίαι κατοίκους*, qui diiuiduntur in *τοὺς κατὰ πόλιν* et *τοὺς ὑπαίθρους*: deinde *τοὺς ἄλλους* (*τοὺς οἰκοῦντας ἐμ Μαγνησίαι*): qui si et ipsi *κάτοικοι* essent, comprehenderentur in eorum numero qui dicuntur *οἱ κατὰ πόλιν*. Item v. 43 sq. diserte distinguuntur *οἱ κάτοικοι — ὁμοίως δὲ οἱ ἄλλοι οἱ οἰκοῦντες ἐμ Μαγνησίαι*: item v. 49 sq. *τῶν ὄντων παρ' αὐτοῖς κατοίκων — τῶν ἄλλων οἰκητῶν*: qui quomodo inter se diuersi sint, manifestum est: alteri milites sunt, alteri ciuiles incolae: v. 45—47 *τοὺς μὲν καταλοχισμοὺς τῶν ἱππέων τε καὶ πεζῶν — τῶν δὲ ἄλλων οἰκητῶν τὴν γραφήν*. Indeque apparet etiam uersibus 35, 36, 59 sq., 71 sq. non tria genera *κατοίκων* distingui, sed duo, *τοὺς κατὰ πόλιν* et *τοὺς ὑπαίθρους* milites, et intellegendum esse: *οἱ ἐμ Μαγνησίαι κάτοικοι — καὶ οἱ ἄλλοι οἰκηταί*. Hi enim a *κατοίκοις* distinguuntur. Itaque etiam v. 47 et v. 84 qui dicuntur *κάτοικοι*, milites sunt, neque de uersu 101 aliud quicquam quam de ceteris omnibus statuamus.

Atque ad uersus 14, 21, 92 mox reuertar. Certe quales sint illi milites *κάτοικοι*, dubitare non possumus: coloni sunt militares. Nam *κατοικεῖν* primum quidem [1] est habitare, consistere aliquo loco. sedem stabilem habere: tum domum uel agros possidere [2]. Inde *κατοικία* a Strabone de habita-

[1] Quapropter inquilini Ephesi habitantes *οἱ κάτοικοι* dicebantur: ei distinguuntur a ciuibus (Wood, Disc. at Eph. temple of Diana n. 8 *στεφανηφορεῖν Ἐφεσίους καὶ τοὺς κατοίκους*); et qui sint illi *κάτοικοι*, deprehendes in titulo Ephesio Dittenb. Syll. 253, v. 25 et 44: *τοῖς πολείταις καὶ τοῖς κατοικοῦσιν τήν τε πόλιν καὶ τὴν χώραν*, qui enumerantur v. 44: *τοὺς ἰσοτελεῖς καὶ παροίκους καὶ ἱεροὺς καὶ ἐξελευθέρους καὶ ξένους*. Item inquilini dicuntur *Ἐχεδαμιεῖς ἐν Τειθρωνι κατοικέοντες*: Wescher et Foucart 318. Cf. CIG 3046 = Le Bas, Asie min. 85. Polyb. XVIII 10 (17, 10 Bk) § 10. Dittenb. Syll. 119; 135. CIG 4957 v. 33. al.

[2] Polyb. IV 37, 8. V 45, 2. 77, 1. X 48, 1. S. C. Thisbaeum Dittenb. Syll. 226 v. 29 sq. Strabo III 148. Diod. IV 74; XI 65; XIX 68.

tionibus usurpatur, siue urbes sint, siue uici[1]. *Κατοικίζειν* est sedes dare, coloniam deducere, *κατοικισμός* agrorum assignatio, coloniae conditio[2]. Itaque *κατοικίας πόλεων* Plutarchus colonias dixit[3], similiter cleruchos e. g. Phylarchus (ap. Athen. VI p. 254 extr.) *τοὺς ἐν Λήμνῳ κατοικοῦντας Ἀθηναίων*. Sollemniter autem sermone militari successorum Alexandri *κάτοικοι* coloni militares appellati esse uidentur, *κατοικίαι* coloniae militum, unde Plutarchus et Appianus ad Caesarum et Antonii colonias ueteranorum significandas hanc uocem adoptauerunt[4]. Cuius sollemnis sermonis praeter nostrum titulum testimonia habes[5] Polybii V 65, 10, ubi exercitus Aegyptii partes enumerantur: *συνήχθη δὲ καὶ Θρᾳκῶν καὶ Γαλατῶν πλῆθος, ἐκ μὲν τῶν κατοίκων καὶ τῶν ἐπιγόνων εἰς τετρακισχιλίους, οἱ δὲ προσφάτως ἐπισυναχθέντες ἦσαν εἰς δισχιλίους.* 78, 5: Attalus Gallis mercennariis suis *ἐπηγγείλατο κατὰ μὲν τὸ παρὸν ἀποκαταστήσειν αὐτοὺς πρὸς τὴν διάβασιν καὶ τόπον δώσειν εὐφυῆ πρὸς κατοικίαν.*

Quibus locis comparatis non amplius dubitabis opinor statuere *κατοίκους* qui cum Smyrnaeis paciscuntur, colonos militares fuisse. Quorum alteri, ut recte Boeckhius monet, Magnesiae in urbe ipsa habitabant, alteri in statiuis. Utrique enim in pacto ipso *κατοίκους* se appellant. Quod autem Smyrnaei in populi scitis eos tantum *κατοίκους* dicunt qui urbem ipsam habitabant, et ab *ὑπαίθροις* eos distinguunt (v. 14. 21.

Hicks, Gr. Hist. Inscr. 179 v. 15 sq. Plut. Rom. 1; Thes. 9. 16. 35; Solon 10. Cf. [Aristot.] Oecon. II 2, 33 (p. 1352 a Bk): *καταπλεύσας εἰς τὸν Κάνωβον πρὸς τοὺς ἱερεῖς καὶ τοὺς κτήματα ἔχοντας ἐκεῖ*, qui mox dicuntur *οἱ ἱερεῖς καὶ οἱ κάτοικοι.*

[1] III p. 143. 151. 153. 159. V 237. 249. VI 272 sq. cf. etiam XIII 624. XVI 753. Polyb. II 32, 4. V 77, 7. XXXI 2. Imperatorum aetate *κατοικίαι* sollemniter uici appellati esse uidentur in Asia: CIG 3454. Le Bas, Asie min. 1676. Mittheil. d. d. arch. Inst. z. Ath. VI 273. Wagener, Inscr. gr. rec. en Asie min. n. 1 p. 3.

[2] Diod. XIV 87, 1. Plut. Rom. 24; Pericl. 23; Timol. 20; Lucull. 19. 21; Nic. 16; Sertor. 9; Alex. 9; Caes. 29; Arat. 45; Timol. 35; C. Gracch. 10. 11.

[3] Pomp. 45. 47.

[4] Plut. Anton. 16 bis. Appian. bell. ciu. V 14. 19.

[5] Cf. etiam Strabo XIII 625: *πόλις ἐστὶν ἐν ἀριστερᾷ Θυάτειρα κατοικία Μακεδόνων.*

92), in eo non inhaerendum est, leuis enim sermonis sollemnis immutatio uidetur: quin etiam inconstantiam quandam et neglegentiam inesse Boeckhio concedam, dummodo *κατοίκους* milites fuisse, non ciues teneas, quippe qui in *ἱππεῖς* et *πεζούς* uel *στρατιώτας* diuisi, neque in tribus, sed in cohortes et centurias (*τάγματα* v. 46. *καταλογισμούς* 45. 47) distributi essent.

Atque colonias militares ab Alexandro in Asia superiore, deinde ab eius successoribus in omnibus illius regni partibus plurimas conditas esse constat: quarum plerasque Droysenus collegit III 2, 187 sqq. Qualis autem illarum condicio fuerit, cum expressis uerbis a ueteribus scriptoribus traditum non sit, ex hoc ipso titulo comparatis Polybii quae citaui uerbis (V 65, 10) de ea re aliquid effici posse uidetur. Nam primum quidem e Polybio id colligam, ad militiam praestandam colonos obligatos fuisse: quos autem ille commemorat *ἐπιγόνους*, filios colonorum esse[1]. Qui cum eadem obligatione teneri uideantur, et militiam et agros militibus illis assignatos hereditarios fuisse censeam. — Deinde eis condicionibus quibus pactum inter Smyrnaeos et Magnetes conuenit, post fidem Seleuco denuo promittendam primo loco Magnetes obligantur, ut ea quae acceperint a rege, omni diligentia praestita seruent et regi restituant: scilicet quando primum restitui possint, cum eo ipso tempore et rex ipse procul absit, et Lydiae praefectus Alexander a rege defecerit (cf. p. 75 adn. 5). Quae autem sunt ea quae coloni a rege acceperant? An res quaelibet uel pecuniae eorum fidei commissae? At hostes regis fuerant Magnetes usque ad hoc ipsum tempus: praeterea cum ipso iure ad talia restituenda obligati fuissent, uix tam insigni loco pacti, sed in *παρέργῳ* potius ea commemorata esse expectabas. Atque cum Magnesia sui iuris esse desinat. Magnetes in singulas Smyrnaeorum tribus distribuantur, neque amplius suis magistratibus utantur, probabilius erat, Smyrnaeorum magistratuum fidei, sicut praesidium et claues Magnesiae ipsius, illas res traditas fuisse, si traditionem res ipsae passae essent. Itaque de nulla alia re hunc locum inter-

---

[1] Perperam Droysenus (De Lagidarum regno p. 24 adn. 2) *κατοίκων* ad *Θρᾳκῶν*, *ἐπιγόνων* ad *Γαλατῶν* pertinere censuit.

pretor quam de agris militibus assignatis, qui ea condicione eis commodati fuerint, ut militiam praestarent, fructus autem agrorum stipendii loco essent. Immunitate uectigalium et tributorum colonos usos esse, docemur tituli v. 100—102. Atque eisdem fere condicionibus postea imperatores Romanos in finibus imperii milites collocasse Gothofredus ad tit. cod. Theodos. de terris limitaneis (7, 15) docuit[1]: siue imperatores illi regum Macedonum exemplum consulto imitati sunt, siue casui haec similitudo debetur. Atque ut ab illis statutum est, ne unquam agri militibus assignati priuati iuris fierent, similiter hos agros colonis non in patrimonium dati, sed in dominio regis fuisse uidentur, militibus quasi feudi loco, ut Gothofredi uerbis utar, traditi. Quapropter cum Magnetes militia se abdicantes ciues Smyrnaei fiant, iura eorum in agros deficiunt: colonia enim militari sublata agri ad regem redeunt, quasi feudum uacuefactum.

Denique de equitibus et peditibus, quorum utrorumque quidam in urbe, quidam in castris habitabant, e v. 101 sq. hoc effici potest, equitibus maiora quam illis heredia assignata fuisse. — Urbani autem et castrenses aeque rerum coloniae regendarum participes erant, utrique enim una agunt cum Smyrnaeis (v. 122).

Ceterum colonorum Magnesiae solorum potestatem fuisse, ceteris incolis in regendis rebus publicis iura nulla, ne ipsos quidem in tribus uel ordines distributos fuisse, neque magistratus habuisse, ex ipso titulo apparet. Ad colonos enim Smyrnaei legatos mittunt, coloni totius Magnesiae nomine agunt, coloni pacti condiciones cum Smyrnaeis constituunt, a colonis eliguntur uiri qui ceterorum nomina ad Smyrnaeorum magistratus deferant (II § 6), coloni cippos ponunt, quibus pactum inscribatur (§ 14). Attamen pactum ipsum conuenit inter Smyrnaeos ex altera, ex altera parte *τοὺς κατοίκους καὶ τοὺς ἄλλους οἰκητάς*: ita ut hi quasi in appendice colonorum sint. Quamquam igitur ad condiciones constituendas adhibiti non erant, tamen una cum illis paciscuntur, et in pacti uerba

---

[1] II p. 398 sqq. ed. Ritter. Cf. Kuhn, Staedtische Verfassung des roem. Reichs I p. 139 cum locis ibi citatis.

una cum illis iurant. quoniam nescio qua de causa ut et ipsis ciuitas a Smyrnaeis daretur statutum est. Quae cum ita sint, neque admodum multos, neque ciues, sed inquilinos eos fuisse censeam.

Haec igitur colonia Magnetum erat, quae quo tempore et a quo rege deducta sit, nescimus. Caue enim e uerbis ὅσα παρείληφαν παρὰ τοῦ βασιλέως Σελεύκου (II § 2. 11), efficias a Seleuco eam conditam esse. Immo haec uerba nihil significant nisi regi illos agros deberi: neque Seleucum, qui de regni possessione inde a patris morte continuo pugnabat, ante annum 241, quo hoc pactum conuenit, colonias deduxisse probari potest.

Alia colonia, cui tertia tituli parte Smyrnaei ciuitatem dant, et ipsa militaris, Palaemagnesiae condita erat, ab Antiocho I nisi fallor[1]. Nam quod Droysenus (I 2, 291) e uersu tituli 100 sq. effecisse sibi uisus est, ab Alexandro Magno huic coloniae agros assignatos esse. eum locum iure suo aliter interpretatus est Waddingtonus (ad tit. Bargyl. Le Bas, Asie min. 87) adsentiente Dittenbergero. Veri autem parum simile est Alexandrum hoc loco coloniam militum condidisse, qui in Asia superiore quidem multas certe huius generis colonias constituit. nullas tamen, quantum scimus, in parte occidentali Asiae minoris[2], quippe quae eius temporibus tali praesidio minime egeret, cum tutissima ea possessione Alexander uteretur. Quod contra accidit successorum aetate, cum omnium fines, omnium iura. omnium spes hic inter se concurrerent. Coloniae enim illae militares accurate discernendae

[1] Hic enim esse uidetur ille θεὸς καὶ σωτὴρ Ἀντίοχος (v. 100); nam quod Hicksius (p. 307) et Dittenbergerus (in indice Sylloges p. 671) Antiochum II intellexerunt, dei nomine decepti sunt, e quo nihil effici potest, cum consecrati sint reges Seleucidae non solum hic illic alii, sed ad unum omnes. Apollinis autem Seruatoris nomen Antiochi I proprium est: cf. p. 82 adn. et CIG 4458.

[2] Unum enim atque solum huius generis exemplum quod Droysenus in sua Graecanicarum urbium Asiae enumeratione deprehendisse sibi uisus est, Apollonia scilicet in Phrygia sita (p. 197 sq.), in cuius nummis Alexander κτίστης appelletur (Eckhel II p. 577 sq. Mionnet, Descr. III p. 332 n. 169—171. Suppl. VI p. 469 n. 170), suo iure iam Raoul Rochette (Hist. des colonies grecques IV 122) in suspicionem uocauit.

sunt ab eis urbibus quas non solum ut regna sua firmarent, sed ad augendam Graecam urbanitatem et artes pacis promouendas reges Asiae condiderunt.

Praeterea mirabimur opinor quodam modo 1) agros illos ab Antiocho assignatos ante eos commemorari quos secundum Droysenum Alexander Magnus colonis condonauerat, immo ordinem inuersum exspectabamus: 2) deinde uiam rectam demonstrant ipsa haec uerba *περὶ οὗ Ἀλέξανδρος γεγράφηκεν*, quippe quae aliud quid significent atque „quem Antiochus eis concessit (*ἐπεχώρησεν*).“ Agri enim eius nomine appellari uidentur cuius nomen diplomati quo assignati erant, praescriptum erat. Hi igitur a rege ipso colonis adtributi erant, illos regis iussu (fortasse Antiochi II) Alexander Lydiae praefectus (v. titulum Bargyliensem supra p. 88 citatum) militibus assignauerat.

Ceterum interpretatio totius loci v. 100—102 satis dubia est. Tantum affirmari potest, fuisse in castello Palaemagnesiae praeter colonos etiam milites qui stipendia etiamtum facerent, eo autem tempore a legione segregati et ad praesidium illud missi essent. Haec enim est Timonis cohors quae dicitur *οἱ ἀποταχθέντες ἀπὸ τῆς φάλαγγος ἐπὶ τὴν φυλακὴν τοῦ χωρίου*: eademque condicione Persae sub Omane ibi collocati esse uidentur. Hi igitur neque coloni erant neque ueterani: praeterea autem colonorum ipsorum quidam *ἀκληρούχητοι* esse dicuntur, quibus Smyrnaei agros castelli finibus uicinos se assignaturos esse promittunt: qui fortasse *ἐπίγονοι* minores natu uel patrum superstitum uel coloni nescio quo modo agris priuati erant.

Colonorum igitur pars ab Antiocho I, pars ab Alexandro Lydiae praefecto heredia acceperat — ita enim, neque uero de binis herediis singulis hominibus assignatis, illos *δύο κλήρους* intellegam. Tum de tertio agro uerba fiunt, quem tenere dicuntur *οἱ πρότερον ὄντες ἐμ Μαγνησίαι κάτοικοι*. Quos *κατοίκους* cum Boeckhius pristinos incolas urbe ipsa expulsos atque alicubi in agris habitantes fuisse censuerit, ita sine dubio ut Smyrnaeos faceret promittentes, se incolas illos agris priuaturos et Palaemagnetibus eosdem condonaturos esse, monendum est: 1) *κατοίκους* colonos militares esse, non quoslibet in-

colas, 2) tum quod dicitur *ὑπάρχειν αὐτοῖς τοὺς τρεῖς κλήρους δωρεάν, ἐὰν προσορισθῆι τῆι πόλει τῆι ἡμετέραι ἡ χώρα ἣν ἔχουσιν οἱ πρότερον ὄντες ἐμ Μαγνησίαι κάτοικοι*, haec uerba assignationem nouam minime sapere. Nam primum quidem *προσορίζειν* non est publicare, sed territorio ciuitatis adtribuere, qua re domini agrorum patrimoniis non priuantur. Deinde uocem *δωρεάν* Boeckhius ipse cum Seldeno rectissime interpretatus est — non „doni nomine", — sed „ita ut immunes sint" (scil. agri [1]). Denique si tertius ager Palaemagnetibus his uerbis condonaretur, tum eis qui *ἀκληρούχητοι* erant, exspectes primum de hac terra consulturos fuisse Smyrnaeos: id quod minime fieri apparet, dummodo uerba recte interpretatus concedas uerba *καὶ τὴν ἀτέλειαν αὐτοῖς μένειν τὴν νῦν ὑπάρχουσαν* non pendere a condicione ea quae significatur uerbis *ἐὰν προσορισθῆι*. Immo immunitas tributi omni modo colonis confirmatur.

Quae cum ita sint, ad explicandum hunc locum coniciam colonorum eorum qui Magnesiae collocati erant, nescio quo tempore (fortasse belli causa) quosdam Palaemagnesiam se contulisse, itaque in Palaemagnetum numero habitos esse. Quorum agri cum iure nimirum pertineant ad coloniam Magnesiae constitutam, hac sublata iura horum colonorum in agros deficiunt. Smyrnaei autem sperant fore, ut rex iure suo coloniae agros confiscandi non utatur, sed hos agros terrae Smyrnaeae adtribuendo Magnetibus retinendos concedat. Quapropter agrorum possessio eis qui antea Magnesiae coloni fuerant sub illa condicione, ceteris Palaemagnetibus omni modo confirmatur. Nam hoc opinor manifestum est, multum interesse inter colonos qui pacto publico in ciuitatem Smyrnaeorum concedunt, militia se abdicantes, et illos quibus populi scito ciuitas adtribuitur ea condicione, ut ciuium Smyrnaeorum iure fruantur, simul autem in militia perseuerent: quapropter ut heredia retineant, constitui potest.

I. Smyrnaeorum populi scitum, quod prima tituli parte continetur, duas, ut solent *ψηφίσματα* Graecorum, partes am-

[1] Haec igitur immunitas diuersa est ab ea quae mox dicitur *ἀτέλεια*, quam de libertate tributi (*εἰσφορᾶς*) intellegas.

plectitur, quarum priore enarrantur causae quibus populus ad ea quae in altera parte constituuntur, commotus sit, atque eae res gestae quae pactum ipsum praecesserunt.

Smyrnaeorum praetores primum, cum et ciuitatis et Seleuci rebus pacto cum Magnetibus, qui a rege defecerant, ineundo consulendum esse decreuissent, uno ex ipsorum numero ad illos misso, fore ut commoda quaedam et a rege et a ciuitate eis concederentur promiserunt, si in illius potestatem coloni reuerterentur, scilicet Smyrnaeos in ciuitatem eos recepturos et a rege impetraturos esse, ut agrorum possessio etiam sublata colonia eis confirmaretur. Neque Magnetes, sociis tum temporis quantum uerisimile est destituti (p. 78), haec proposita reiecerunt, sed legati quattuor Smyrnam missi sunt, qui et condiciones sympolitiae ineundae scriptas secum tulerunt, et uerbis cum populo de eis egerunt. Tum a Smyrnaeis hoc populi scitum factum est, cuius in altera parte haec decernuntur:

1) ut populus Smyrnaeorum cum Magnetibus amicitiam publicam faciat ita, ut e rebus Seleuci regis maxime esse uideatur;
2) ut pacti condiciones (ratione habita nimirum earum quas legati Magnetum obtulerant) constituat[1];
3) ut legati tres Magnesiam mittantur, qui colonis eas con-

[1] V. 25: *τὴν ὁμολογίαν ἥτις ἂν δόξηι τῶι δήμωι.* Smyrnaeos pacti uerba constituisse, ab illis constituta Magnetes comprobasse, uestigia in ipso pacto exstant. Nam Smyrnaeorum magistratuum nomina praescripta sunt. Deinde quae de comparanda hostia ad sollemnia iuris iurandi conficienda in § 13 uerba fiunt, ad res Smyrnaeorum spectant: non item de Magnetum hostia statuitur, sed de ea statuendum Magnetibus permittitur. Similiter § 6 constituitur, ut inquilinorum nomina ad magistratus Smyrnaeos deferant homines quibus coloni mandauerint. Cf. § 15, imprimis v. 87, ubi uertas: et suis sigillis et publico si quod est. — Cf. Thucyd. IV 118 sq. cum Kirchhoffii adnotationibus: Monatsber. d. Berl. Acad. 1880 p. 834 sqq. et titulum Hierapytnensem (Cauer[1] 44 = [2]181) foedus Rhodiorum et Hierapytniorum continentem. Rhodiorum enim populi scitum uerbo tenus Hierapytnii repetierunt, mutatis nullis nisi quod v. 9 loco uerborum *ὑπάρχειν συμμαχίαν ποτὶ τὸν δᾶμον τὸν Ἱεραπυτνίων* scripserunt *ὑπάρχειν συμμαχίαν ποτὶ τὸν δᾶμον τὸν Ῥοδίων*, quae uerba in Rhodiorum populi scito ferri non posse Naberum, qui eum titulum edidit, fugisse miror.

diciones proponant et comprobandas commendent: quas si illi comprobauerint, ius iurandum eorum accipiant;

4) id si factum sit, ut Smyrnae ea quibus ad pactum ratum faciendum opus sit, conficiantur;

5) ut hoc decretum inter acta publica referatur, et lapidibus eisdem inscribatur atque sympolitia, (quorum in uno inscriptum etiam nunc exstat);

6) ut prytanes[1] legatos Magnetum in prytaneum inuitent.

II. Formula sympolitiae, quae altera tituli parte continetur, constat e praescripto et condicionum enarratione.

In praescripto post temporis significationem, quae fit nominibus et sacerdotis (uel Matris Sipylenae uel Veneris Stratonicidis) et *στεφανηφόρου*[2], praeterea mensis, totius pacti summa paucis uerbis adumbratur.

---

[1] Ad hanc partem Boeckhium miror adnotauisse '*ἐπιμήνιοι* non prytanes sunt, ut cuidam uisum, sed menstrui sacrificuli'. At quis a sacrificulis legatos in prytaneum uocari unquam audiuit? Itaque de his recte iudicasse uidetur Doermerus in appendice libri quem inscripsit: De Graecorum sacrificulis qui *ἱεροποιοί* dicuntur. Argentorati 1884 p. 73: 'Sane nihil impedimur quominus prytanes hos epimenios fuisse iudicemus'. Idem plura de epimeniis docte disseruit.

[2] *Στεφανηφόρων* nominibus Smyrnaeos etiam altero p. Chr. n. saeculo annos significasse Boeckhius docuit testibus usus et titulis (CIG 3150. 3162. 3173. 3386. cf. 3148. 3190. 3194.) et Philostrato (Vita sophist. II 26, 2). Ceterum hic magistratus Smyrnae interdum a mulieribus gerebatur inde a primo (ut uidetur) p. Chr. saeculo. (CIG 3173. 3150. — 3173 in eodem titulo duobus annis 80 et 83 p. Chr. altero uirum, altero mulierem *στεφανηφόρον* deprehendimus). Eadem res inuenitur Phocaeae (CIG 3415. cf. 3413); Trallibus (2927); Mylasae (? Euromi. Le Bas, Asie min. 313 sq. = CIG 2713 sq. cf. Le Bas ibid. 394) aetate imperatorum; Aphrodisiade eadem aetate (Le Bas 1592. 1602. CIG 2820. 2829. 2835. 2840); Trapezopoli (3953 d cf. 3953 c); Thasi (v. infra).

Atque de hoc magistratu uide quae exposuit Fustel de Coulanges, La cité antique p. 214. cf. Boeckh ad CIG 2330. — Est enim is fortasse qui olim non solum summus, sed solus ciuitatium fere omnium magistratus fuerat; eaque causa esse uidetur, quod *ἐπώνυμος* in plerisque ciuitatibus erat. Qui cum non minus sacerdos olim quam magistratus fuisset, postea in aliis haec, in aliis ciuitatibus illa muneris pars superstes erat. Neque unquam sacerdotalem quandam naturam prorsus ab

Sympolitiae condicionum prima constituitur:

§ 1. Ut in fidem regis Magnetes reuertantur.

§ 2. Altero loco ut ad agros quos militiae causa acceperant, asseruandos omnem diligentiam praestent, scilicet ne

---

hoc magistratu alienam fuisse recte monet Fustelius. Qua etiam Atheniensium archontes quodammodo praeditos fuisse diserte Aeschines testatur his uerbis: (c. Tim. § 19. p. 3,31:) *Ἄν τις Ἀθηναίων ἑταιρήσῃ, μὴ ἐξέστω αὐτῷ τῶν ἐννέα ἀρχόντων γενέσθαι, ὅτι οἶμαι στεφανηφόρος ἡ ἀρχή.* Sacerdotii enim ideoque sanctitatis signum erat corona: cf. C. F. Hermanni Ant. Gr. I[5] § 124 a. 13 cum locis ibi citatis: Lys. or. 26 § 8 (p. 175 extr.). Demosth. Mid. § 32 sq. (p. 524 sq.); in Theocr. § 27 (p. 1330). Cf. etiam Plut. Quaest. Rom. 40 (p. 274) et CIG 6012 c „*Φοίβου στεφανηφόρος ἱερεύς*". — Nomine autem *στεφανηφόρων* praeter insulas quasdam non nisi Asiae minoris ciuitates usae esse uidentur.

Atque re uera sacerdotes sunt nonnulli, ut dixi, eorum *στεφανηφόρων* quos nouimus et e litteris et e titulis Graecis. Qui num omnes *ἐπώνυμοι* in ciuitatibus suis fuerint, nescimus. Teste enim Athenaeo (V p. 215 b) Tarsis *στεφανηφόρος* erat Herculis sacerdos. Atque Dionysius Hal. AR II 64 flamines Romanorum dicit *τοὺς καλουμένους ὑπὸ μὲν Ἑλλήνων στεφανηφόρους* (*στεφηφόρους* codd.). Item Mileti sacerdos erat *στεφανηφόρος*, Apollinis nimirum, idemque anni eponymus, cuius nomine tam tertio (CIG 2852 — cf. p. 81 adn. — additis quaestorum sacrorum nominibus. cf. 2879), quam altero a. Chr. saeculo (2855 — insuper addito prophetae Pythionis nomine) annos Milesii significabant. Cf. Arch. Ztg. 1876 p. 128 = Hicks. Gr. hist. Inscr. 200 = Dittenb. Syll. 240 v. 40. ca. 140 a. Chr. addito mense. — Revue arch. 1874. XXVIII 107 = Dittenb. Syll. 314. CIG 2853 sq. 2856 sqq. 2868. 2879 sq. (incertae aetatis). — Erat autem etiam imperatorum aetate hoc sacerdotium (2881. 2885): dicitur *στεφανηφόρος τοῦ θεοῦ* 2855. — Etiam Prienenses a *στεφανηφόρῳ τοῦ θεοῦ* annos appellauisse apparet ex iudicio Rhodiorum (CIG 2905 B. 3.) III uel II a. Chr. saeculo conscripto. Cf. Le Bas, Asie min. 200. 202. — Thasi quoque sacerdos fuisse uidetur imperatorum aetate (CIG 2162) illa *Αἰλία Μακεδονία ἡ ἀνθοφόρος καὶ δὶς ἀρχεῖτις καὶ τιμοῦχος καὶ διὰ βίου στεφανηφόρος.* — Item Cyzici *στεφανηφόρους*, qui distinguuntur a magistratibus (Dittenb. Syll. 279, 22), sacerdotes fuisse censeam I p. Chr. saeculo. — Sacerdos domus Augustae *στεφανηφόρος* audit Lampsaci CIG 3642, siue Tiberii siue Septimii Seueri aetate hic titulus scriptus sit. *Στεφανηφόρον* Apollinis habes Calymnae: Newton Inscr. of. Brit. Mus. CCXXXI. saec. a. C. III uel II (cf. infra). — (Cf. etiam titulum Syracusanum CIG 5421: *Εὐχομένην σε θε[οῖς] στεφ[ανηφόρον εἶλε Π]οσειδᾶν*).

Contra Pari deprehendimus aetate imperatorum (CIG 2379) quendam *ἄρξαντα την στεφανηφόρον τοῦ πολειτάρχου ἀρχήν*, quem *ἐπώνυμον* fuisse

abalienent, immo aduersus hostes, si opus sit, defendant et quam primum fieri possit, regi restituant (cf. p. 86. 90).

§ 3. Ut Smyrnaeorum ciuium officia in se recipiant, (qua de re infra dicam). Addita est formula sollemnis

---

ueri simile est. Item fuisse *ἐπώνυμον* Teni *τὸν ἄρχοντα τὴν στεφανηφόρον ἀρχὴν* Boeckhius censuit ad CIG 2330. cf. 2331 (II saec. a. C. ?) 2332. 2333. 2337. 2336$^{b}_{a}$ (Antoninorum aetate). — Neque minus Magnesiae ad Maeandrum magistratus fuisse uidetur quinto a. C. saeculo, siquidem Themistocles teste Athenaeo (XII p. 533 d) cum *στεφανηφόρος* illius ciuitatis esset, et Mineruae et Dionyso sacrificauit et sollemnia dedicauit. Si enim sacerdos alterius numinis fuisset, alteri eo tempore non consuluisset. Quamquam dubium hoc quidem esse confiteor. Certe Smyrnae magistratus erat (cf. Philostr. l. c.), fortasse Nysae (v. infra).

Haud paucae autem sunt ciuitates quarum *στεφανηφόροι* utrum sacerdotes fuerint an magistratus, diiudicare non licet. In quibus Mysiae quaedam ciuitas est apud Klisse-Koei sita (fortasse Elaea: cf. Gelzer in Actis Acad. Berol. 1872 p. 68). De Phocaeensium *στεφανηφόρῳ* v. supra. Deinde Thyatirae aetate Romana commemoratur *στεφανηφόρος*, de quo dubites (CIG 3485); Sardibus saec. I p. Chr. (3461 sq.); Alabandae uel Alindae imperatorum aetate (2900); eisdem temporibus Bargyliae (Le Bas 496); Trapezopoli (v. supra); Aezanis (CIG 3831 a^{9} — prouinciae sacerdotem? — 3831 a$^{13. 14b.}$). Acmoniae (CIG 3858$^{c}_{a}$ = Le Bas 756); Laodiceae ad Lycum (3942); Ancyrae (Le Bas 1011 = CIG 3847^{b}: cf. Waddington ad hunc tit.); Minoae Commodi aetate (CIG 2264 m); Coi II p. Chr. saeculo (Ross, Hellenica I, II p. 95 n. 17).

Annos autem significant *στεφανηφόρων* nominibus:

Gambreotae aetate post Alexandrum Magnum (CIG 3562 = Dittenb. Syll. 470 v. 27 sq.)

Cymaei aetate Augusti (3524 v. 59) nominibus sacerdotis Romae et Augusti et summi sacerdotis et prytanis et *στεφανηφόρου.*

Smyrnaei (v. supra).

Maeonienses (cf. Eckhel III p. 105, IV 212—14. Ceterum nummos non perlustraui.)

Hyrcanienses Lydiae (ibidem).

Coloenses aetate Romana anni numero, mense, *στεφανηφόρῳ* (Wagener, Inscr. rec. en Asie min. 1).

Hierapolitae aetate Romana (Le Bas 741 = CIG 3912 a).

Prienenses (v. supra).

Milesii (v. supra).

Trallenses (v. supra).

Nysaei Augusti aetate (2943. cf. 2950).

foederis iniqui, non quasi foedus hoc pactum esset, quo multo artius Magnetes cum Smyrnaeis coniunguntur, sed ita ut foedus iniquum tamquam fundamenti loco sit sympolitiae et ipsius iniqua condicione initae, quippe qua Magnesia rei publicae loco esse desinat, Magnetes omnes iuris Smyrnaei fiant.

§ 4. Ut in pacti uerba utrique iurent. Qua de re §§ 11—13 accuratius agitur.

§ 5. Si cui in bello quod inter Smyrnaeos et Magnetes gestum erat, alterius ciuitatis ciui aliquis nocuerit, ne liceat eo nomine, postquam in pacti uerba utrique iurauerint, amplius quemquam persequi neque iudicio neque alio quocunque modo: si quis litem intenderit, irrita ut sit. — Iura quae e contractibus oriuntur, persequi nemo uetatur. Cf. quae supra exposui ad tituli Teii § 6 p. 26.

§ 6. In hac parte summa totius rei uersatur. Est enim haec: ut in ciuitatem Smyrnaeorum recipiantur Magnetes, et coloni et inquilini quicunque liberi et Graeci sint, iure integro et aequo quo pristini Smyrnae ciues fruantur. — Nomina colonorum ad magistratus Smyrnaeos deferre iubentur scribae cohortium, ceterorum incolarum uiri quos ad hanc rem coloni

---

Aphrodisienses (v. supra) imperatorum aetate (2826 sq. — 2835. 2836 = Le Bas 1633. 2836b. 2840 = Le Bas 1637. 2842. 2843. 2848. cf. 2766. 2778. 2785. 2789. 2795. 2814. Le Bas 1602a. 1639. 1641a. CIG 2850b = Le Bas 1643.

Iasenses quarto a. Chr. saeculo (Bull. de Corr. Hell. V p. 493 = Dittenb. Syll. 77); III ? saeculo (2673—2675. 2677); II. a. Chr. saeculo (cf. Waddington in Le Bas, Asie min. p. 87 sq. CIG 2679 = Le Bas 251) *στεφανηφόρῳ* et scriba; *στεφανηφόρῳ* et *ἀγωνοθέτῃ* (Le Bas 252—299: cf. CIG 2681). II. p. Chr. saec. (Le Bas 300).

Olymenses (Mylasenses?) aetate incerta (Le Bas 323. 332. 338. 339).

Mylasenses II saeculo a. Chr. *στεφανηφόρῳ*, scriba senatus, 3 archontibus (Le Bas 394); aetate Romana (ib. 358) summo sacerdote et *στεφανηφόρῳ*. — aetate incerta (403 [CIG 2963 c] — 409. 416 = CIG 2963e cf. 348).

Stratonicenses I p. C. saeculo (CIG 2715 = Le Bas 519).

Calymnenses I fere p. C. saeculo Journal of Hellenic Studies II. p. 362. — II saec. p. C. Newton Inscr. of Brit. Mus. CCCX sq. CCCXIV. Aetate incerta CCCVI d. Cf. ibid. CCXXXI (III uel II saec. a. C. v. supra). CCXCVIII v. 64 (aet. inc.).

Syrii M. Aurelii temporibus (CIG 2347 k).

elegerint. Utraque Smyrnaeorum ἐξετασταί[1] cum iure iurando accipient, et sorte inter tribus Smyrnaeorum distributa ciuium catalogis (κληρωτηρίοις) inscribent. Magnetum catalogos eidem rei publicae scribae tradent, ut inter acta publica referat.

---

[1] Ἐξεταστῶν collegium quale sit, Aristoteles docet Polit. VI 8, 10: Ἐπεὶ δὲ ἔνιαι τῶν ἀρχῶν, εἰ καὶ μὴ πᾶσαι, διαχειρίζουσι πολλὰ τῶν κοινῶν, ἀναγκαῖον ἑτέραν εἶναι τὴν ληψομένην λογισμὸν καὶ προσευθυνοῦσαν, αὐτὴν μηθὲν διαχειρίζουσαν ἕτερον· καλοῦσι δὲ τούτους οἱ μὲν εὐθύνους, οἱ δὲ λογιστάς, οἱ δὲ ἐξεταστάς, οἱ δὲ συνηγόρους. Athenis erant ἐξετασταὶ τῶν ξένων, qui examinabant, ne mercennarii plures in catalogos inscriberentur, quam stipendia faciebant teste Aeschine (c. Tim. § 113 p. 16, 7, quocum cf. Lex. Rhet. p. 252. Etym. M. 386, 12. — Aeschin. f. leg. § 177 p. 52, 2). Extraordinarii magistratus fuisse uidentur. — Ab eis diuersus est is ἐξεταστής qui in titulis quibusdam olympiadis 120 et 121 (a. C. 299/8. 295/4) occurrit una cum trittyarchis: CIA II 297 sq. 300. Quos quod Hicksius (Journ. of Hell. Stud. II 1881 p. 100) tribuum potius quam populi magistratus fuisse censet, trittyarchos quidem praetermitto, de exetasta autem contra iudico. Neque quod de pecuniis tribuum expendendis in illis titulis agi censet, adstipulari possum uiro doctissimo. Nam cum populus (300 v. 37 sq.) hoc decernat: στῆσαι αὐτο[ῦ τὸν δῆμον καὶ ε]ἰκόνα χαλκῆν — χειροτονῆσαι δ[ὲ τὸν δῆμον ἤδη τ]ρεῖς ἄνδρας ἐξ Ἀθηνα[ίων ἁπάντων οἵτ]ινες ἐπιμελήσονται [τῆς ποήσεως τῆς] εἰκόνος, μερίσαι δ' αὐτ[οῖς τὸν ἐξεταστ]ὴν καὶ τοὺς τριττυάρ[χους εἰς τὴν εἰ]κόνα ὅ τι ἂν ἀνάλωμα γέ[νηται, manifestum est publicis impensis statuam erigi, non tribus. Publicas autem pecunias trittyarchos interdum administrauisse Aeschines testatur (p. 58 in Ctesiph. § 30); quod cum sub ἐξεταστοῦ custodia fieri iubeatur, hic fere respondet Aristotelis definitioni. Atque etiam magis ei ἐξετασταί qui occurrunt in Magnetum decreto (eorum qui Thessalis uicini erant). saeculo p. Chr. I secundum Lollingium, qui eum titulum edidit in Mitth. d. d. arch. Inst. z. Athen. VII 1882 p. 69—76. Hi enim una cum sacerdote Iouis intersunt rebus quibusdam Iouis Acraei nomine uendendis, deinde a ceteris magistratibus ius iurandum accipiunt, hoc decretum ipsos omni diligentia praestita obseruasse. Quod ius iurandum si quis non praestiterit, ὑπόδικος ἔστω τοῖς ἐξετασταῖς καὶ ἄλλωι τῶι βουλομένωι τῶν πολιτῶν. Ab exetastis rationem exigunt eorum successores. — Chii οἱ ἐξετασταί ultrotributa locant IV a. C. saeculo. Cf. titulum a Gerhardo editum in Act. menstr. Acad. Berol. 1863 p. 265: τοὺς ἐξεταστὰς τοὺς ἐνεστηκότας ἐγδοῦναι τὸ ἔργον, διαστολὴν ποιησαμένους μετὰ τοῦ ἀρχιτέκτονος καθότι συντελεσθήσεται ὡς πρότερον εἶχεν· ὑπηρετεῖν δὲ αὐτοῖς τὸν κατὰ μῆνα ταμίαν. — Item Nasi eodem fere tempore: Hicks, Gr. hist. Inscr. 138 τὰ δ' ἐψαφισμένα προσαναγράψαι τοὶς ἐξετάσταις εἰς ταὶς στάλλαις ταὶς ὑπὲρ τῶ Θερσίππω· τὸ δ' ἀνάλωμα δότω ὁ ταμίας. — Item Halicarnassi II (?) a. Chr. saeculo: Bull. de Corr. hell. V 212 ἀναγράψαι δὲ τόδε τὸ ψήφισμα τοὺς ἐξεταστὰς

§ 7. Cum hoc pacto territorium Magnesiae, quod in regis dominio est, agro Smyrnaeo non contribuatur, propria clausula praecipitur, ut non solum Smyrnae sed etiam Magnesiae (h. e. extra Smyrnaeorum fines), ciues noui in negotiis faciendis et in litibus persequendis ciuitatis legibus utantur: scilicet in eis quae cum ciuibus Smyrnaeis fiunt uel in ciues Smyrnaeos aguntur, quae uerba etiam ad Magnetes spectant, quippe qui hoc ipso pacto Smyrnaei fiant. Cum peregrinis enim non iure ciuili sed *συμβόλων* legibus agitur.

§ 8. Eadem de causa constituitur, ut nummi Smyrnaei pretio legitimo Magnesiae uersentur.

§ 9. Ut summum imperium militare Magnesiae ad praefectum a Smyrnaeis institutum transferatur: qui tamen cum Magnesia urbs eiusque territorium in regis dominio sint, regis nomine hoc munere fungi iubetur.

§ 10. Ut omnibus eis Magnetibus qui sedes Smyrnam transtulerint, in semenstre tempus habitationes tot cubiculorum quot populo placuerint, publicis impensis dentur, utque quaestor rei publicae una cum summis Smyrnaeorum magistratibus habitationes illas conducendas curet. — Cum haec pars admodum similis sit paragraphi alterius decreti Teiis ab Antigono dati (p. 11. 22 sq.), animaduertas tamen quaedam inter

τοὺς ἐπὶ Τιμοθέου εἰς στήλην λιθίνην, ἔγδοσιν ποιησαμένους μετὰ τοῦ πωλητοῦ ἐμ μηνὶ Ἐλευθεριῶνι καὶ στῆσαι ἐν τῶι ἱερῶι τοῦ Ἀπόλλωνος. — CIG 106. (cf. Hicks l. c.) *ἐπιμεληθῆναι δὲ τῆς ἀναγραφῆς τοὺς ἐξεταστάς· τὸ δὲ ἀνάλωμα τὸ εἰς τὴν στήλην δοῦναι τὸν ταμίαν.* — Newton, Discov. at Halicarnassus etc. II p. 689 n. 3 *ὅπως δ' ἂν οἱ προδανείσαντες εἰς τὴν στοὰν ἣν ὁ δῆμος ἀνατίθησιν τῶι Ἀπόλλωνι καὶ βασιλεῖ Πτολεμαίωι φανεροὶ ὦσιν πᾶσιν, τοὺς ἐξεταστὰς ἐφ' ὧν ἂν συντελεσθῆι ἡ στοά, ὅσοι ἂν προδανείσωσιν ἄτοκα μὴ ἔλασσον ἢ δραχμὰς φ' ἀναγράψαι, αὐτῶν τὰ ὀνόματα κτλ.* Eis summa pecuniarum publicarum et sacrarum custodia mandata fuisse uidetur, quippe quibus solis liceret quotannis thesaurum Dianae aperire et pecuniam inde dissoluere (CIG 2656 = Dittenb. Syll. 371, 32). — Deinde Erythris recensentur in summis ciuitatis magistratibus qui populum iure rogant (Dittenb. Syll. 160. 172. 190). Eorum auspiciis sacerdotia quaedam ueneunt, quorum *ἐπώνια* aerario publico, ut uidetur, soluebantur (Dittenb. Syll. 370, 25). — Denique in titulo Laodicensi (ad Lycum) CIG 3945 *ἐξεταστήν* restituit Boeckhius, recte sine dubio. — Smyrnaeorum *ἐξετασταῖς* praeter pecuniarum publicarum etiam catalogorum ciuium cura mandata fuisse uidetur.

has duas causas interesse. Nam primum Lebedii omnes coguntur Teum transmigrare, cum regis hoc maxime intersit, ut uno loco magnam ciuitatem constituat. Magnetibus autem permittitur, utrum sedes Smyrnam transferre uelint necne. Deinde Lebediis praeter fundos qui eis assignantur, in tres annos habitationes gratis dantur. Magnetibus fundi nulli, habitationes autem in sex menses. Quae differentiae arte inter se cohaerent. Nam cum Lebediorum traductio non ad ipsorum commodum efficiatur, damna quibus afficiuntur, eis compensanda sunt. Contra Smyrnaei non id agere uidentur, ut Magnesiam desertam faciant, neque omnino sibi tam quam Magnetibus hac re consulere. Nam si cui e Magnetibus ipsi uolenti non erat Smyrnam transmigrare, certe sex mensium habitatione libera concessa ad hoc uix commoueri poterat. Tota igitur res pro commodo Magnetibus concesso habenda est, eo consilio, ut qui Smyrnae quam Magnesiae habitare mallent, eis semenstri spatio proprias habitationes sibi comparandi facultas praestaretur. Quamquam non negauerim Smyrnaeos sperasse, fore ut artius inter utramque ciuitatem uinculum necteretur, si quam plurimi Magnetum Smyrnam transmigrassent, utque eo modo firmius sympolitia staret.

Reliqua pacti pars ad exsequendas condiciones in superioribus paragraphis enumeratas pertinet.

§ 11. 12. Iuris iurandi utriusque ciuitatis uerba constituuntur. — Dei per quos iurant Magnetes et Smyrnaei, eidem sunt, praeterquam quod Apollinis ἐμ Πάνδοις loco, qui Magnetum praecipue πάτριος θεὸς fuisse uidetur (cf. v. 85), in Smyrnaeorum iure iurando Venus Stratonicis est, atque in colonorum iure iurando post reliquos deos deasque additur Fortuna regis Seleuci, quae e sacramento militari fortasse huc recepta est. (Magna Mater Sipylene in nummis tam Smyrnaeorum quam Magnetum efficta est: cf. Eckhel II p. 537 sq. III 106.)

Magnetum ius iurandum duas partes amplecti uidetur, quarum altera (v. 60—64) in pacti uerba iurant, altera ciuium officia communia in se recipiunt. Popularis potestatis conseruandae in hac parte praecipue ratio habetur, uelut in iure

iurando iudicum Atheniensium (Demosth. 24, 149 sq.), quod et ipsum magna e parte non tam ad iudicum quam ad ciuium officia spectat. — Smyrnaei iurant non solum ea quae unusquisque in se recipiat, sed omnes totius ciuitatis nomine: v. 74 sq. *καὶ ποιήσομαι αὐτοὺς πολίτας — καὶ εἰς φυλὰς αὐτοὺς ἐπικληρώσας καταχωριῶ* etc. Quae non sunt unius cuiusque ciuis, sed magistratuum [1].

§ 13. Constituitur quomodo utraque ciuitas alterius ius iurandum accipiat. Quam rem Smyrnaeos legatis etiam ante pactum initum mandasse supra uidimus p. 92. (cf. praeterea adn. p. 91.)

§ 14. Ut pactum cippis quinque inscribatur. Eorum quod a Smyrnaeis duo, tres a Magnetibus eriguntur, mirum uideri possit, cum alias in pactis publicis utrique ciuitati aequa pars attribui soleat, ita plerumque ut imparis numeri cipporum unus communibus impensis ab utrisque erigatur. Res insolita quae hic occurrit, ita explicanda esse uidetur, ut totum pactum pro concessione Magnetibus facta, si in fidem regis reuerterentur, habendum esse statuamus. Nam cippos erigendi non tam onus ciuitati imponitur cui hoc mandatur, quam ius conceditur, ut alteram pacto stare obliget.

§ 15. Ut pactum inter acta publica Smyrnaeorum referatur, eiusque exemplaria muniantur alterum eorum hominum sigillis quibus Magnetes id mandauerint, et publico si quod sit, alterum ciuitatis et summorum Smyrnaeorum magistratuum. Cf. p. 91 adn. Eggeri Études historiques sur les traités publics chez les Grecs et les Romains. Parisiis 1866. p. 59 sq.

Hoc pactum sympolitiae nomen prae se ferre manifestum est, siquidem uerba *πολιτεύσονται μετὰ Σμυρναίων* (§ 3) idem ualent quod *συμπολιτεύσονται τοῖς Σμυρναίοις*, quibus

[1] Hoc in iuribus iurandis Graecorum insolitum non est, cf. ius iurandum iudicum et senatorum Atheniensium Chalcidensibus datum (CIA IV 27a = Dittenb. Syll. 10), cuius Dittenbergerus iniuria censuit primam partem (v. 6—10) iudicum esse, quae sequuntur senatorum: immo utrique totius populi nomine totum ius iurandum iurant.

eisdem, scilicet πολιτεύεσθαι μετὰ τῶν Ἀχαιῶν etiam Polybius utitur de Achaeorum sympolitia (II 57, 5 al.) Atque quod supra dixi, sympolitiam effici ciuitatis et legum communione, hoc exemplo comprobatur.

Colonia autem Magnetum, quae rei publicae propriae loco adhuc erat, hoc pacto tollitur. Cohortes et centuriae colonorum nimirum dissoluuntur, praefecti qui antea eis erant, abolentur. Magnetes sui iuris esse desinunt, atque in ciuitatem Smyrnaeorum concedunt. Quam rem animaduertas alio modo effici, atque quo Lebedii in Teiorum ciuitatem recepti sunt, et quo, ut infra uidebimus, etiam in sympolitiis huius generis faciendis plerumque Graeci utebantur (cf. p. 8). Ciuium quidem Smyrnaeorum iura integra cum Magnetibus communicantur, cum diserte statuatur v. 53, ut participes fiant omnium rerum quarum pristini ciues Smyrnaei: in quibus v. 77 expresse praedicatur, ut etiam iure honorum inde ab eo tempore fruantur. Item officia ciuium Smyrnaeorum omnia Magnetes in se recipiunt, legibus et populi scitis Smyrnaeorum se oboedituros esse iurant, neque minus ad iura et priuilegia ciuitatis seruanda omnem diligentiam se praestituros, et singulorum ciuium securitatem et iura se obseruaturos et aduersus unumquemque sedulo defensuros esse.

Sed cum plerumque tribus locum obtineat ciuitas quae in alteram ciuitatem concedat, hoc Magnetibus non tribuitur, sed in tribus Smyrnaeorum distribuuntur. Quae res quanti momenti sit, teneas. Nam cum tribus ciuitatium Graecarum suas res quae non ad rem publicam ipsam pertinerent, suis tribuum magistris atque suis suffragiis administrari et decernere solerent, in quibusdam rebus eae ciuitates quae sympolitia cum altera coniungebantur, quasi sui iuris manebant. Quae res a Magnetibus longe aliena est: qui neque magistros suos, neque comitia sua, ne aerarium quidem suum inde a sympolitiae initae tempore habere possunt, cum eis qui alii aliis Smyrnaeorum tribubus adscripti sint, iam nihil commune sit.

Territorium Magnesiae, quippe quod non in Magnetum sed regis dominio sit, quamquam non ipso pacto Smyrnaeorum

agro contribuitur, sperant Smyrnaei fore ut sibi a rege concedatur. Tum igitur Magnesia *κώμη* quidem Smyrnaeorum fit, sed talis ut in re publica ei locus sit nullus, cum uici iure careat. Omnes res quae ad eam pertinent, curantur pro ipsarum natura partim a ciuitate Smyrnaeorum ipsa eiusque magistratibus, partim a magistris tribuum quibus Magnetes adscripti sunt. Illa praefectum dat, qui claues portarum nunc quidem regis, postea nimirum si rex Smyrnaeorum spei respondeat, populi Smyrnaei nomine seruet. Iuris dictionem et sacrorum aliarumque rerum administrationem a magistratibus populi exerceri consentaneum est.

Quae cum ita sint, nummos Magnetes non percussisse donec haec sympolitia steterit, per se intellegitur. Itaque cum tamen exstent nummi Magnesiae Sipylenae tempore huius sympolitiae inferiores [1], iniuria Boeckhius iudicauit ad aetatem imperatorum Romanorum usque eam perdurasse: tituli autem quos huc rettulit (CIG 3157. 3408) aliter explicandi sunt. Strabo enim, ut recte Kuhnius monet (Entstehung der Staedte p. 360), haec testatur: XIII 621 extr.: *οὐκ ἄπωθεν δὲ τούτων τῶν πόλεων οὐδ' ἡ Μαγνησία ἐστὶν ἡ ὑπὸ Σιπύλῳ, ἐλευθέρα πόλις ὑπὸ Ῥωμαίων κεκριμένη.* (Quamquam ceteri loci quos Kuhnius adtulit, non ad Sipylenam sed ad Maeandriam Magnesiam spectant). Quo autem tempore a Smyrnaeis secesserit, si requiras, caue cum hac re coniungas eiusdem Strabonis testimonium, qui XIV 646 tradit Dolabellam anno a. Chr. 43 a Smyrnaeorum ciuitate aliquos uicos separasse. Nummus enim ille qui est apud Mionnetum IV p. 71 n. 385, ad M. Tullii honorem excussus est, eo fortasse tempore quo Cicero Ciliciam administrabat. Itaque cum Sullae Magnesiae emancipatio tribuenda non sit, cuius tempore Mithridati ea fauebat (Appian. Mithr. 21), a Smyrnaeis quidem antea Magnetes secessisse, liberae autem ciuitatis iure a Pompeio donatos esse coniciam.

---

[1] Eckhel III p. 106 sq. Leake, Num. Hell. Asiatic Greece p. 79. Suppl. ib. p. 67. Mionnet, Descr. IV p. 68–83 n. 361—452. Suppl. VII p. 371—389 n. 247—336.

III. Tertia tituli parte, quae paullo post alteram conscripta est (v. 91), ciuitate Smyrnaei donant colonos et milites regios qui Palaemagnesiae collocati erant. Hi quoque a Seleuco defecisse uidentur, quapropter Smyrnaei etiam hoc praesidium ut in regis fidem reducerent, suae dicioni subiciendum putabant. Cuius rei causa legatis ad Palaemagnetes missis, fore ut et ipsis similia atque Magnetibus commoda concederentur, si praefecto a ciuitate misso portarum claues et custodiam castelli traderent, promiserunt. Quas condiciones cum illi acciperent. pactum quidem cum eis non factum, neque colonia militaris quae Palaemagnesiae collocata erat, sublata est, sed hoc populi scito Smyrnaei eis ciuitatem ita dederunt, ut simul in militia regia perseuerarent, et ciuium Smyrnaeorum iure fruerentur. Itaque coloniae condicio et iura hoc populi scito non immutantur. Coloni agros sibi assignatos retinent: iure nimirum eo utuntur quod in constituenda colonia a rege eis datum erat, item milites qui praeter colonos in castello sunt, legibus militaribus. Utrique praefectos suos retinent, quamquam imperium castelli praefecto a ciuitate misso traditur: qui tamen non Smyrnaeorum sed regis nomine hoc munere fungi iubetur (v. 96 sq.).

Causis in priore parte expositis, in altera decernuntur haec:

1) Ut coloni Palaemagnetes ciues Smyrnaei sint integro iure.
2) Ut agros qui eis assignati sint, retineant (v. p. 90), eademque qua antea immunitate fruantur.
3) Ut eis qui agris careant, equestre heredium singulis a Smyrnaeis condonetur finibus castelli uicinum.
4) Ut etiam ceteris militibus ciuitas et immunitas detur. Horum tria genera sunt: cohors Timonis, Persae sub Omane praefecto in castello collocati, denique mercennarii Smyrnaeorum qui cum Menecle praefecto ad custodiam castelli suscipiendam missi erant.
5) Ut omnibus eis quos ad n. 4 enumeraui, frumenta (μετρήματα[1]) et stipendia (ὀψώνια[2]), quae aliquamdiu

---

[1] Cf. Polyb. VI 38, 3. IX 27, 11.

[2] Cf. Polyb. VI 39, 12—15. I 66, 3. 5. 11; 67, 1; 69, 8.

Timonis et Omanis militibus data non esse uidentur (εἰώθει), ex horreis et aerariis regis danda Smyrnaei ea qua apud regem fruebantur auctoritate curent.

6) Ut hoc populiscitum cippis eisdem inscribatur quibus pactum inter Smyrnaeos et Magnetes conuentum, atque inter acta publica referatur.

III. DE MELITAEENSIUM ET PEREENSIUM SYMPOLITIA.

Titulus hic inuentus in ecclesia uici Avaritzae in Thessalia Phthiotide siti et editus est ab I. L. Ussingio (Inscriptiones graecae ineditae. Hauniae 1847 n. 2; cf. Bergkium, Zeitschrift für Alterthumswissenschaft V 1847 p. 1095), deinde a Rangabaeo (Antiquités Helléniques II Athenis 1855 n. 692). Uterque commentarium addidit. Litteris maiusculis repetitus est a Lebasio (Voyage archéologique P. III n. 1179), minusculis a Fickio (Bezzenbergers Beitraege VI p. 312) et Cauero (Delect. [1]104 = [2]239). Scripserunt de eo Wilh. Vischer (Basileae 1849 Ueber die Bildung von Staaten und Bünden = Scr. min. I p. 374: cf. ibid. p. 577) et Kuhnius (Rh. Mus. XV 1860 p. 29 sq. = Entstehung der Staedte p. 124 sq.).

Inest arbitrium trium ciuium Calydoniorum ad componendam litem ciuitatium Melitaeensium et Pereensium factum, quae sympolitia inter se coniunctae erant.

1. *Μελιταιέοις καὶ Πηρέοις ἔκριναν οἱ ὑπὸ τῶν Αἰτωλῶν αἱρεθέν|τες δικασταί, Δωρίμαχος Πολεμαῖος Ἀργεῖος Καλυδώνιοι, αὐτῶν | ἐπιχωρησάντων ἐξ ὁμολόγων.*

2. *Ὅρια μὲν εἶμεν τᾶς χώρας Μελιταιέ|οις καὶ Πηρέοις, ὡς ὁ Ἀκμεὺς ἐμβάλλει ἐν τὸν Εὔρωπον, καὶ ἀπὸ τοῦ || Ἀκμέος ἐν τὰν παγὰν τοῦ Γαλαίου, καὶ ἀπὸ τοῦ Γαλαίου ἐν τὰν Κολώ|ναν, καὶ ἀπὸ τᾶς Κολώνας ἐπὶ τὸ Ἑρμαῖον, ἐπὶ τὰ Εὐρύνια, καὶ ἀπὸ*

---

1 *Μελιταίοις* R.

τῶν Ε[ὐ]||ρυνίων κατὰ τῶν ἄκρων ὡς ὕδωρ ῥεῖ ἐν τὸν Εὔρωπον, ἐκ τοῦ Εὐρώ|που ἐν τὸν Ἐλιπῆ, ἀπὸ τοῦ Ἐλιπέος ἐν τὸ νέμος τὸ ἄγον ἐν τὰν Ἄμ[πε]||λον, ἀπὸ τᾶς Ἀμπέλου κατὰ τῶν ἄκρων ἐπὶ τὸ Ὕπατον, ἀπ[ὸ] || τοῦ Ὑπάτου ἐν τὸν Κερκινῆ, ἀπὸ τοῦ Κερκινέος ἐν | τὰν Μύνιν, ἀπὸ τᾶς Μύνιος ἐν τὸν Εὔρωπον, τοῦ Σκαπεταίο[υ] | καὶ τοῦ Εὐρώπου ἐν τὰν συμβολάν.

3. *Τὰν δὲ δαμοσίαν χώ|ραν, τούς τε Καράνδας καὶ τὰν Φυλιαδόνα, μὴ ἀποδόσθων Μ[ε]||λιταεῖς, ὥστε πατρωίαν ἔχειν τὸν πριάμενον, πολιτευόντω[ν || Π]ηρέων μετὰ Μελιταιέων, ἀλλὰ κατ' ἄνπαλον μισθούντω κ[α]||θὼς καὶ τὸ πρότερον.*

4. *Εἰ δέ κα ἀποπολιτεύωντι Πηρεῖς ἀπὸ Μελ[ι]|ταέων, περὶ μὲν τᾶς χώρας ὅροις χρήσθων τοῖς γεγραμμένοις, καὶ ἔ|χοντες ἀποπορευέσθων βουλευτὰν ἕνα, καὶ τὰ δάνεια συναπο|τινόντω, ὅσα κα ἁ πόλις ὀφείλη, κατὰ τὸ ἐπιβάλλον μέρος || τοῦ βουλευτᾶ, καὶ ἐμφερόντω τὰ ἐ[ν] τοὺς Αἰτωλοὺς γινόμε|να κατὰ τὸν βουλευτάν.*

5. *Ἀποδόντων δὲ οἱ Πηρεῖς τὰς δεκάτας | τὰς γινομένας τοῖς δανεισταῖς ἃς ὀφείλοντι ἐτέων τριῶν, ἀ|ναβολὰν λαβόντες ἔτη τρία.*

6. *Ὅσα δὲ καὶ πρότερον ἐλάμβανον ο[ἱ] | Πηρεῖς παρ τᾶς πόλιος κατ' ἐνιαυτόν, τοῖς τε ἀρχόντοις ἀργυρίου || μνᾶς τρεῖς, καὶ κάρυκι στατῆρας δέκα, καὶ εἰς τὸ ἔλαιον τοῖς νεανί||[α]ις στατῆρας δέκα, καὶ εἰς τὰν θυσίαν τῶν Σωτηρίων στατῆρας πέντε, [κ]|αὶ νῦν λαμβανόντω· καὶ τὰ λοιπὰ ἐπιμελέσθω ἁ πόλις τῶν Μελιτα|έων κοινῶν τῶν ἐμ Πηρέοις καθὼς καὶ τὸ πρότερον.*

7. *Νόμοις δὲ χρήσ|θων Πηρεῖς τοῖς αὐτοῖς καὶ Μελιταεῖς.*

8. *Τὰς δὲ ἐν ἀγορανόμοις δίκας γινομέ||νας Πηρέοις ποτὶ Πηρεῖς κατὰ τετράμηνον δικαζόντω ἐμ Πηρέοις οἱ ἐγ Με|λιτείας ἀγορανόμοι.*

9. *Ἀναγραφήτω δὲ ταῦτα ἐν στάλας ἔν τε Μελιτείαι | καὶ ἐν Δελφοῖς καὶ ἐν Καλυδῶνι καὶ ἐν Θέρμωι. Μάρτυρες τὸ συνέδριον Α[ἰτω|λ]ῶν τὸ ἐπὶ γραμματέος Λύκου καὶ οἱ προστάται τοῦ συνεδρίου [Οἰνό]μαος Σπάττιος, Λύσωπος Ἀπολλωνιεύς, καὶ ὁ γραμματεὺ[ς Ἐπο]|χος Ἐρυθραῖος, καὶ ὁ ἱππάρχας Ἀλέξων Ἑρμάττιος, Πανταλέ[ων Ἀτ]|τάλου Πλευρώνιος, Νικόστρατος Νικοστράτου Ναυπάκτιος, Δαμόξενος Θεοδώρου Ἡρακλεώτας.*

8 *Ἐλιπῆ, ἐκ τοῦ* R. || 16 *ἀποπολιτεύοντι* R. || 17 *[λα]χόντες* U. || 18 *ἀπον πορευέσθων* R. || *συναπ|οτινόντω* R. || 20 *τὰ ἐς τοὺς* R. || 23 *ο[ἱ]* omittit R. || 27 *Μελιτι|ων* R. || 28 *τῶν κοινῶν ἐμ* U. || 33 *γραμματέως* R. || *[Ἑρμ|ό]λαος* U.

Factum est hoc arbitrium auctoritate communis Aetolorum concilii, quorum sympolitiae illo tempore adscripti erant Melitaeenses et Pereenses[1]. En habes exemplum ciuitatium duarum quae et in maiore Aetolorum sympolitia continentur, et artiore inter se ipsos sympolitia simul coniunguntur. Qua ex re, nisi omnino constaret, hoc efficeretur, minime tam certas fuisse sympolitiae condiciones, ut non tam artiora quam laxiora uincula hoc nomine appellarentur, dummodo communi ciuitatis iure et communibus legibus uterentur ei qui inter se coniungebantur, ita ut in rebus externis unius ciuitatis loco essent, separata tamen quaedam iura haberent partes ita in unum compositae. Cuius rei similia etiam apud Achaeos inueniuntur.

Ex oppidis enim quinque (in quae Patrensium plerique anno a. C. 279 dispersi erant)[2] cum Patris ipsis sympolitia coniunctis constitisse uidetur illud quod Polybius XXXIX 9 (XL 3) commemorat Patrensium *συντελικόν* (*Πατρεῖς καὶ τὸ μετὰ τούτων συντελικόν*).

Contra eius separationis quam Graeci *διοικισμοῦ* nomine appellare solebant, exemplum habes apud Plutarchum[3], qui (anno fere a. C. 193) uicos quosdam (scil. Alipheram, Aseam Dipaeam, Gortyn, Pallantium, Thisoam: cf. Freeman, History of Federal Government I p. 626 adn. 4) a Megalopolitarum ciuitate separatos esse refert, ita ut inde ab eo tempore et ipsae ciuitates Achaicae essent. Nec secus postea Tenea a Corintho secessit (Strabo VIII 380). Qua de re miras sententias quidam homines docti protulerunt. Ipse Freemanus (l. c. p. 256) „Megalopolis, inquit, certainly and Corinth probably had subject districts, whose inhabitants appear to have had no direct share in the general Federal citizenship". Idem tamen p. 628 adn. 1 rectius de eadem re iudicauit, ubi cum diuisione qualis exempli gratia fingi possit, ciuitatis cuiuslibet sympolitiae Americanae has res comparat

[1] Recte ex nostro titulo apud Rangab. 682 *Αἰ[τωλὸν] | ἀπὸ Μελιτείας* restituit Buecher De gente Aetolica amphictyoniae participe p. 32 adn. 5.

[2] Pausanias VII 18, 6. cf. C. F. Hermann, De syntelia p. 14. R. Weil, Münzwesen des ach. Bundes in Salleti Ztschr. f. Num. IX 1882 p. 202.

[3] Philop. 13.

aptissime. Dum enim uici illi cum Megalopoli synoecismo coniuncti erant, uicani nimirum Megalopolitae erant, omnibusque horum iuribus fruebantur. Philopoemen autem unum membrum sympoliticum, quod iusto maius esse uidebatur, in compluria minora diuisit, quod quamquam satis arbitrario modo factum esse uidetur, tamen ex ea re effici non potest, iure ciuium sympoliticorum priuatos antea fuisse Aliphaerenses, Gortynenses, ceteros: non magis quam in nostro exemplo Pereenses communi Aetolorum iure priuati sunt. — Atque etiam a Messenia, cum seditione facta iterum Achaicae sympolitiae adscriberetur, partes quaedam separatae et in ciuitatium sympoliticarum modum constitutae sunt (Polyb. XXIII 17 [XXV 1 sq.] § 1 sq.), Abia scilicet et Thuria et Pharae, quod ideo factum est, ut Messeniorum, quibus iure suo minus confidebat Lycortas praetor Achaeorum, auctoritas diminueretur, neue si forte iterum a communi sympolitia deficerent, illas ciuitates secum traherent.

Ut igitur sympolitiae membra interdum ita diuisa sunt, ut partes in modum ciuitatium sympoliticarum constituerentur, sic contraria ratione ciuitates sympoliticae duae poterant in unam contrahi, cuius rei et hic et in pacto Stiriensium et Medeoniorum exempla in manibus habemus.

Haec scilicet Melitaeensium et Pereensium sympolitia artior erat quam communis sympolitia Aetolorum, neque a synoecismo longe diuersa. Qua de re infra nobis erit dicendum.

Nunc quaenam fuerint illae ciuitates et ubi fuerint sitae quaeramus. Quarum altera ex scriptorum ueterum commemoratione nota est. Qui fere omnes[1] *Μελίτειαν* eam dicunt, quae forma in nostro titulo est v. 30/31, praeterquam quod in Thucydidis[2] et Pseudo-Dicaearchi[3] et quibusdam Diodori[4] codicibus legitur *Μελιτίας* et *Μελιτίαν*, apud Ptolemaeum

[1] Theopomp. apud Steph. Byz. s. v. Polyb. V 97 (quidam cod. male *Μελιτείαν*). Strabo IX p. 434. Diod. 18, 15, 1 (cod. Par. unus recte). Plut. Sull. 20. Philo ap. Steph. Byz. cf. Rhangabe 682.

[2] IV 78 bis.

[3] Geogr. Gr. Min. I p. 109 (Mueller), quam lectionem idem Muellerus non adnotat ad eundem locum in FHG II 264.

[4] L. c. ceteri codices.

(3, 12, 43. I p. 523 Mueller) Μελίτεια alii libri, alii exhibent Μελιτάρα; Μελιτταία est in Stephani codicibus, apud Pseudo-Scylacem 63 Μελιτιάδες. Melite eadem dicitur a Plinio 4, 9 (16), 32 et ab Antonino Liberali (13). Vera igitur forma est Μελίτεια, pro qua male a quibusdam editoribus restitutum est nomen Μελίταια, uelut apud Pseudo-Dicaearchum a Muellero, apud Strabonem a Xylandro; immo uidendum erit, nonne recte idem Muellerus postea etiam Thucydidi Μελιτείας, Μελίτειαν reddendum esse censuerit (ad Ptolem. l. c.). Nec tamen ut probabili modo explicarem mihi contigit, qua ratione ciues, quos Μελιτειεῖς appellari exspectes, ab eisdem scriptoribus[1] atque in titulis et nostro et apud Curtium (Anecd. Delph. 50) semper dicantur Μελιταιεῖς praeterquam quod Μελιταεῖς, Μελιταέων iuxta solitam illam formam (v. 1. 3. 15) legitur in nostro titulo (v. 14. 17. 27 sq. 29). Μελιτεαίων semel inuenitur in Polybii codicibus IX 18, 5, qui tamen alias sibi constat in formis Μελιταιῶν (ita recte pro Μελιταίων, quod codices exhibent, scripsit Hultschius: IX 18, 6); Μελιταιεῖ V, 63, 11; Μελιταιεῖς V, 97, 6. Apud Strabonem Μελιτεεῖς haud insolito errore pauci codices exhibent pro Μελιταιεῖς, quod recte habent plerique. Forma Μελιτεύς, Μελιτεῖς non legitur nisi apud Stephanum Byzantium et Antoninum Liberalem (l. c.). Μελιταιεῖς igitur genuinam formam esse apparet.

Urbem eorum in Achaia Phthiotide sitam fuisse constat; quod autem posteriores geographi Thessaliae urbem eam fuisse dicunt, non mirabimur, cum a Romanis Achaei Thessalis adtributi sint (cf. p. 111. Kuhn l. c. p. 98 sq.). De situ urbis accuratius egerunt praeter Leakium (Travels in Northern Greece IV 469 sq.) et Rangabaeus et Ussingius in commentariis ad hunc titulum scriptis: ille cum summo doctrinae apparatu, hic breuiter et perspicue. Ille cum Leakio apud uicum qui hodie est Keuzlár urbem sitam fuisse censuit, quod uerum non esse etiam e Thucydidis uerbis apparet. Unde Kiepertus etiam ante Ussingium urbis situm recte cognouerat. Postea Ussingius in libro quem inscripsit Griechische Reisen und Studien (p. 118—120), luculenter certiores nos fecit de loco

[1] Praeter eos quos citaui Ephor. ap. Steph. Byz.

ubi et titulum, qui Meliteae positus erat (v. 31), inuenit et ruinas urbis antiquae haud exiguas uidit, scilicet apud uicum qui hodie est Avaritza, tres horas inter meridiem et orientem solis ab urbe Thaumacis (Domokhó), paulum ad orientem uersus a faucibus montis Othryis per quas uia fert a Lamia urbe (Zeituni) Pharsalum [1].

Situ Meliteae urbis cognito, ubi Pereenses habitauerint, dubitare amplius non licet. Finitimi enim illius erant, urbs autem Pereensium non erat, sed uicus (*κώμη*), ut recte monet Ussingius. Nam Melitea simpliciter *ἁ πόλις* dicitur (v. 19. 24). Quod autem apud Hesychium legimus *Πηρία πόλις ἐν Θεσσαλίᾳ*, tantum a ueritate abest, ut ne nomen quidem Periae tituli huius aetate fuisse inueniamus: immo *ἐμ Περέοις* dicitur. Propius ad uerum accessit Stephanus qui dicit: *Πήρεια Θεσσαλίας χωρίον. τὸ ἐθνικὸν Πηρεύς.*

Hunc uicum ab Homero primum commemoratum esse (Il. B 766) Ussingius et Rangabaeus consentiunt. Quod tamen mero errori adtribuendum esse non uiderunt. Quamquam enim uulgo scribitur illo loco: *τὰς ἐν Πηρείῃ θρέψ' ἀργυρότοξος Ἀπόλλων,* hoc neque in codicibus legitur, neque recte se habere potest. Minime ueri simile esse, uiculum illum nouisse poetam praetermitto. Sed in plurimis libris est *πιερίῃ*, in aliis *πηρείῃ*. Atque antiquam esse mendam Eustathius docet, qui et *πιερίῃ* et *πηρείῃ* circumferri testatur; quod autem ad uocem *πηρείῃ* haec addit: *καὶ εὕρηται οὕτω καὶ ἐν τῇ κατὰ στοιχεῖον συλλογῇ τῶν ἐθνικῶν, ἔνθα κεῖται ὅτι Πήρεια χωρίον Θετταλικόν* (uide supra), *ὅπερ τυχὸν* (fortasse!) *ἑλῶδες ἦν καὶ ἀγαθὸν τρέφειν ἵππους,* unusquisque uidet hoc merae coniecturae deberi, neque aliud quicquam atque nos in Stephano suo Eustathium legisse. Verum quid esset, Valckenarius uidit (ad Ammon. p. 206). In Macrobii enim libris, qui illum locum citat (I 17, 44) pro *πηρείῃ* legitur *Φηριει* et *Φηριφι* et *Φηριῃ*, quapropter *Φηρείῃ* Valckenarius rectissime restituit. De Eumeli enim equis uerba fiunt, Admeti filii, qui Pheris regnabat. *Φηρείῃ* autem eadem ratione pro *Φερείῃ* dixit poeta qua paucis uersibus ante *Φηρητιάδης* (v. 763) pro *Φερητιάδης*: et ut *Φήρης*

[1] Ussingium secutus est Bursianus (Geogr. Gr. I p. 85).

nihil nisi alia forma nominis *Φέρης*, sic etiam *Φηρείη* forma poetica est nominis regionis circa urbem notissimam sitae, quam Pheres ille condidisse ferebatur (Apollod. I 9, 14. Schol. Il. 2, 591). Certe poeta hoc loco regionem nominauit quae ad equos pascendos prae aliis apta esset, quod ad Pheras quidem, nec uero ad Periam quadrat. Nam in montibus Pereenses habitabant. *Πηρείη* igitur uel *Πιερίη* ne scribamus sententia ipsa prohibemur: grammaticos autem iusto doctiores, qui tamen quid sit illud *Φηρείη* non perspexerint, ex geographorum operibus uel uicos collegisse non miror.

Quo autem tempore ciuitates Achaiae Phthiotidis cum Aetolorum sympolitia coniunctae sint, expressis uerbis a ueteribus memoriae traditum non est. Schornius (Hist. Graec. p. 88) partim Demetrii partim Antigoni Dosonis temporibus hoc factum esse censuit. Freemanus (p. 395) eo bello quod una cum Achaeis post Antigoni Gonatae mortem contra Macedones Aetoli gesserunt. Hoc enim tempore in Achaiam Phthiotidem eos progressos esse, inde apparet, quod Aratus apud Phylaciam a Bithye Macedonum duce uictus est. Droysenus aliter iudicauit (III 2, 68), profectus a coniectura minus probabili, certo aliquo pacto Achaiam et Pharsalum a Macedonum rege Aetolis concessas esse, quod effecit ex Polybii loco XVIII 38 (21) § 3[1], ubi tamen hoc nullo modo significatur. Antigonum anno a. C. 229 tale pactum cum Aetolis iniisse censuit. Quae tamen sententia omni fundamento firmo caret. Vel quin Thessalia in Macedonum potestate illo tempore fuerit dubitari potest[2].

Cum igitur certius definire tempus quo Achaia Phthiotis cum Aetolia coniuncta sit, non liceat, probari tamen potest, quod Freemanus olympiadi 135 (a. Chr. 240 sqq.) hoc factum tribuit. Permanebat autem in Aetolorum potestate certe usque

[1] Anno a. C. 197 cum Tempis de componendis Graeciae rebus inter Flamininum et Philippum et legatos Graecorum ageretur, *ὁ δὲ τῶν Αἰτωλῶν Φαινέας "τί οὖν ἡμῖν οὐκ ἀποδίδως, Φίλιππε, ἔφη, Λάρισαν τὴν Κρεμαστήν, Φάρσαλον, Θήβας τὰς Φθίας, Ἐχῖνον;"* cf. § 6 *καὶ λεγόντων ὅτι δέον αὐτοὺς εἴη . . . κομίζεσθαι τὰς πόλεις τὰς πρότερον μεθ' αὑτῶν συμπολιτευομένας.*

[2] Cf. Trogi prol. 28. Iustin. 28, 3, 14.

ad annum 217 a. C., quo anno Philippus Melitea urbe potiri frustra conatus (Pol. V 97) Thebas Phthiotidas oppugnauit et cepit (c. 99—101). Tamen non statim tota Achaia a Macedonibus expugnata est. Anno enim a. C. 210 Aetoli Echinum obtinebant, quam urbem eo tempore Philippus cepit (Pol. IX 41 sq.). Romani anno 196 Thebas Aetolis restituerunt, non tamen ceteras urbes Achaiae, quas praeter Pharsalum Thessalorum sympolitiae adtribuerunt. (Polyb. XVIII 38 [21], 5; 47 [30], 7).

Inter ol. 135 (a. C. 240) igitur et 140 uel 142 (a. C. 212) nostrum titulum fere conscriptum esse ex eis quae adtuli testimoniis apparet. Saeculo alteri exeunti conuenire recte monuit Ussingius et litterarum huius inscriptionis formas et aeris alieni mentionem, quo illo tempore Aetolos oppressos fuisse Polybius refert (XIII 1 sq.).

Est autem titulus satis idoneus ad cognoscendam sympolitiam Graecam, quoniam exemplum exhibet discordiae inter ciuitates duas ex illa condicione ortae. Quamquam eam ipsam ob rem multum abest, ut sympolitiae leges omnes quae inter Melitaeenses et Pereenses conuenerant, ex hoc arbitrio cognoscamus, in quo earum tantum ratio habetur de quibus controuersia erat. Causa autem litis, quantum ex ipso titulo effici potest, fuisse uidetur, quod Pereenses iura sua a Melitaeensibus diminuta esse censerent. Atque imprimis de agro quodam publico lis erat, ad utrorum fines pertineret, et utris potestas esset de eo decernendi. Ager publicus enim utriusque ciuitatis, sympolitia facta, communis iuris erat. Qua re magistratus Melitaeensium, qui res communes curabant, sibi uindicarunt potestatem, in ciuitatis communis commodum, quid fieret de eo agro statuendi. Atque antea quidem publice uidentur eum locasse: tum temporis autem cum uendere eum uellent, contra dixerunt Pereenses, atque suum esse illum agrum contenderunt. Minati sunt, se nisi satis sibi fieret, a Melitaeensibus secessuros esse. Videntur autem non de agro illo tantum, sed etiam de usuris aeris cuiusdam alieni et de pecuniis quibusdam quae ex aerario publico eis soluebantur, et de magistratuum communium iurisdictione (quam fortasse condicionibus sibi iniquis fieri contendebant) iurgia Melitae-

ensibus fecisse. Res tamen composita est eo modo, ut utrique in concilium commune Aetolorum compromitterent. Hoc igitur arbitros creauit.

§ 1. Monuisse hoc loco iuuabit, ea quae de iudiciis sympoliticis quidam censuerunt, hoc titulo non confirmari. MHE Meier enim ut hunc solum citem uirum iuris publici Graecorum peritissimum in libello quem inscripsit: Die Privatschiedsrichter und öffentlichen Diaeteten Athens, in parte III: Die Austraegalgerichte bei den Griechen: sententiam dixit in hunc modum: „Am ersten hatten noch den Charakter bleibender Austraegalgerichte die bei den verschiedenen *κοινά, συστήματα* und *συντέλειαι* vorhanden gewesenen richterlichen Instanzen, natürlich nur für die zu diesen Vereinen gehörigen Staaten.“ Addit hoc iudicium apud Achaeos et Aetolos concilium commune ipsum exercuisse. Sed exempla non exstant quibus probetur, concilia communia Achaeorum et Aetolorum lites inter ciuitates sympoliticas ortas diiudicauisse. Neque apud Achaeos concilium commune uidetur iudicii loco omnino fuisse, quamquam iudicium sympoliticum ita cum concilio coniunctum erat, ut non nisi eius iussu constitueretur. In hoc iudicio actum esse in eos qui leges communes sympoliticas uiolassent, multis exemplis cognoscimus, nullis tamen in hoc iudicio lites ciuitatium diiudicatas esse.

Apud Aetolos non secus atque apud Achaeos praetorem iudicii *ἡγεμονίαν* habuisse, senatum autem in quibusdam causis iudicii loco fuisse, apparet imprimis ex eo titulo qui est Dittenb. Syll. n. 215 v. 20 sq. (ubi de lacuna recte expleta non est cur dubitemus). Cf. CIG 2350. 3046 = Le Bas, Asie Min. 85.

Alia ratione in nostra causa actum est. Lites enim ciuitatium Aetolicarum iudicium sympoliticum, ut uidetur, diiudicare non consueuit. Immo arbitros[1] datos esse, quamquam *δικασταί* appellantur, plane apparet e uerbis (v. 2 sq.) *αὐτῶν ἐπιχωρησάντων ἐξ ὁμολόγων*. Quod cum in iudicio legitimo satis insolitum fuisset, necessarium erat in

---

[1] Errat Ussingius qui Aetolorum hoc iudicium esse dicit: Griechische Reisen und Studien p. 120.

arbitrio inter duas ciuitates faciendo. Neque raro sententiis huius generis expressis uerbis additum legimus, a ciuitate utraque arbitros constitutos uel constituendos recipi ea condicione, ut quod iudicassent, ratum fieret [1].

Nostrum exemplum simile est ei quod adtuli Argiuorum iudicio (Le Bas, Asie Min. 1). Ut enim illic inter Cimolios et Melios conuentum est, ut ab Amphictionibus (hoc enim esse uidetur illud commune Graecorum concilium [2]) arbitros peterent, sic Melitaeenses et Pereenses arbitros petiuerunt a concilio Aetolorum. Illis populus Argiuorum datus est, his tres uiri Calydonii, qui rem composuerunt arbitrio, quod hoc titulo continetur.

§ 2. Prima arbitrii parte fines Pereensium et Melitaeensium constituuntur, qua ex re apparet de his maxime ciuitates inter se litigasse (v. § 3). Nomina locorum quae in hac tituli parte occurrunt, aliunde fere omnia nobis ignota esse dolendum est. Tamen Rangabaeus ex his uerbis terminos Pereensium restituere posse sibi uisus est. Quam rem satis mirum in modum confecit uir doctissimus. Cum enim diserte uerba non fiant nisi de Melitaeensium et Pereensium confinio, terminos Rangabaeus ita constituit, ut eis undique includatur terra quaedam, quam Pereensibus tribuit. Nisi igitur ager Pereensis Melitaeensium agro totus includebatur, id quod probari nullo modo potest, frustra consumptam esse operam haud exiguam quam in hanc rem uir doctissimus impendit,

[1] Cf. titulum Olympicum (Arch. Ztg. 1876 p. 128 = Hicks 200 v. 45 sq.), et Argiuum Le Bas, Asie Min. 1. cf. etiam ibid. 195—198 p. 77 = CIG 2905 v. 9 sqq. atque CIG 2265, titulum iudicium continentem iudicum ἐκκλήτων Eretriensium in causa ciuium Pariorum et Naxiorum factum, ubi poena constituitur ei ciuitati quae hoc iudicium irritum fecerit v. 15. Qua de re inter has duas ciuitates ante iudicium factum conuenisse uidetur. Itaque etiam CIG II Add. 2561b v. 25 nescio an scribendum sit: ἐξ] ὁμολόγων [ἑκατ]έρων. Cf. etiam pactum Latiorum et Olontiorum cum Cnosiis factum (Bull. de Corr. Hell. III 290 sq.) et R. Dareste in Bull. VI 241 sq.

[2] Kirchhoff, Stud. z. Gesch. d. gr. Alph. [3] p. 87. cf. Aesch. c. Ctes. § 161 p. 76 et § 254 p. 89 extr. cum Dem. de cor. § 322 p. 331 extr. A. Schaefer, Demosth. III 198. 52, qui citat Paus. 7, 10, 10. Cf. etiam Cic. de inv. II 23 § 69.

prima specie unus quisque uidet. Accedit quod in ea ipsa terra quam Pereensibus Rangabaeus uindicauit, Meliteam urbem sitam fuisse iam constat (vide supra p. 108 sq.). Neque iuuat laborare de eis rebus quas scire nullo modo licet. Immo non feliciores quod ad hos fines adtinet, nos esse concedendum est, quam in tot aliis titulis. Creticis imprimis, quibus fines ciuitatium duarum accuratissime constituuntur, quos tamen nos recognoscere nullo modo possumus. Sed quantum ad grammaticam quidem pertinet. uerba saltem recte interpretari nobis licebit. Qua in re cum cetera plana sint, in uersibus 6. 7 explicandis mire lapsus esse uidetur Ussingius. Virgula enim posita in v. 7 post *κατὰ τῶν ἄκρων,* sic uerba coniunxit: *ὡς ὕδωρ ῥεῖ ἐν τὸν Εὔρωπον ἐκ τοῦ Εὐρώπου, ἐν τὸν Ἐλιπῆ κτλ.*: quae ita interpretatus est, secundum iugum montis (*κατὰ τῶν ἄκρων*) fines duci, unde ex altera parte aqua omnis in Europum defluat, ex altera in alium quendam fluuium, neque ad Europum hoc loco confinium omnino accessisse. Sed haec uerbis illis significari non possunt, neque omnino graecum est *ὡς ὕδωρ ῥεῖ ἐν τὸν Εὔρωπον ἐκ τοῦ Εὐρώπου.* Recte igitur post *ἐν τὸν Εὔρωπον* interpunxit Rangabaeus, qui cum tamen in mappa quam commentario adiunxit, eodem modo quo Ussingius uoluit, terminos constituerit, scil. secundum iugum aliquod, uerba *ὡς ὕδωρ ῥεῖ* quid sibi uellent, non perspexit. *Ὡς* enim dictum esse pro 'ubi', ipse Ussingius ad v. 4 recte adnotauit. Itaque *ἀπὸ τῶν Εὐρυνίων κατὰ τῶν ἄκρων ὡς ὕδωρ ῥεῖ ἐν τὸν Εὔρωπον* est „ab Euryniis deorsum secundum riuum qui defluit in Europum“, ex Europo deinde ad Elipea fines ducuntur, neque quo modo huic explicationi obstet praepositio *ἐκ*, quod Ussingio uisum est, intellego.

§ 3. Finibus utriusque ciuitatis constitutis, de agro publico illo quem praecipue causam litis fuisse supra conieci, statuitur, quo modo inde ab illo tempore eo utantur Melitaeenses. Hic ager ad quorum fines pertineat, expressis uerbis non dicitur, quoniam hoc plane nimirum apparebat e finium ipsorum constitutione. Nos igitur quibus illos fines recognoscere non licet, utri ciuitati addictus sit, prima specie non intellegimus. Cum autem de hac praecipue re tota causa

acta esse uideatur, ad eam recte cognoscendam uidendum erit, alione modo rem diiudicare possimus, dummodo uerba recte interpretemur.

Neque magna in his inest difficultas praeter illud *κατ' ἄνπαλον* v. 15, quod Ussingius interpretatus est „ad licitationem". Addit „substantiuum esse puto *τὸν ἀνάπαλον* ab *ἀναπάλλω* deriuatum, auctionemque significare, qua pretium semper quasi sursum iactetur". Contra *ἀνάπαλον* ab *ἀναπάλλω* nullo modo deriuari posse, neque omnino fuisse illud substantiuum, contendit Boeckhius ad Pind. Ol. 7, 110: quare illo loco, ubi traditum est: *μνασθέντι δὲ Ζεῦς ἄμπαλον μέλλεν θέμεν*, scripsit *ἂμ πάλον μέλλεν θέμεν* i. e. *τὸν πάλον ἀναθεῖναι.*

Sed quamquam ab *ἀναπάλλω* deriuatum non est, cur uerbo *πάλλω* respondere non possit substantiuum *ἀνάπαλος* eodem modo quo *σύλλογος, πρόλογος, ἐπίλογος* al. respondent uerbo *λέγειν*, non intellego. Substantiuum autem esse *ἀνάπαλον* uel *ἄμπαλον* nostro loco comprobatur addita praepositione *κατά*. Rangabaeus et ipse „*κατ' ἄνπαλον*" inquit „parait signifier ici: par voie d'enchères": coniecit tamen lapicidam unam *τ* omisisse et *κὰτ' τὰν πάλον* scribendum fuisse, quasi femininum esset *πάλος*! Mihi quidem dubium non est, quin substantiuum sit *ἄμπαλος*, sed uidentur haud recte hoc interpretati esse Ussingius et Rangabaeus, neque licitationis hic mentio fieri: quamquam multum abest, ut negem hoc modo re uera agrum locatum esse. Proficiscendum autem est a Pindari loco supra citato, ubi de sententia dubitare non licet. Recte enim eam interpretati sunt scholiastae [1]. Itaque *ἀνάπαλος* proprie est noua sortitio. Atque *μισθοῦσθαι κατ' ἄνπαλον* nihil aliud esse potest quam de nouo locare, cum de sortiendo hoc loco proprie dictum esse non possit. Hoc igitur statuitur, ne Melitaeenses illum agrum uendant (*ὥστε πατρῴαν ἔχειν τὸν πριάμενον*), sed certis temporis interuallis eum locent, sicut antea factum erat.

Quae cum ita sint, uidendum est, utrius ciuitatis fuerit ille ager. Atque uideri possit, cum Meliteae hunc titulum poni iubeant arbitri, non Periae (v. 31), pro Melitaeensibus

[1] Cf. locos a Boeckhio citatos ad l. c.

non pro Pereensibus sententia pronuntiata esse. Sed alia huius rei causa est. Cum enim Peria non urbs esset, sed uicus, non in hoc sed in urbe titulus uidebatur ponendus esse. Sin Melitaeensibus, non Pereensibus ille ager addictus esset, qua re illorum iura ita deminuerentur, ut de suo agro potestas eis non relinqueretur, non perspicio. Immo animaduertas hanc sententiae partem ratam factam non esse, nisi Pereenses in sympolitia permanerent (v. 13). Tum igitur locandi illum agrum magistratibus Melitaeensium potestas esto: sin secesserint Pereenses, hi nimirum eum tenento. Nam ager publicus Pereensis sympolitia inita communis iuris factus est. Bona publica autem non Pereenses curabant, sed tota Melitaeensium ciuitas (cuius Peria pars erat) uel eius magistratus.

§ 4. Ceterum Pereensibus copia facta est, uellentne Melitaeenses esse necne. Qua re et quid faciendum sit, si in sympolitia permaneant, statuitur, et quid, si secesserint. Nam secessione facta fines rati erunt ei qui prima sententiae parte constituti sunt. Tum uero constituenda erant iura quae intercederent inter Pereenses, qui iam ciuitatis separatae locum obtinebant, et sympolitiam Aetolorum. Atque hunc locum grauissimi momenti esse ad constitutionem sympolitiae Aetolorum cognoscendam, monuerunt iam Vischerus (l. c.) et Kuhnius (l. c.). Statuitur enim ut Pereenses ad concilium commune unum eorum senatorum mittant quos antea Melitaeenses miserant, et tributa ferant pro rata parte huius senatoris. Qua ex lege recta uia colligitur, pro magnitudine unius cuiusque ciuitatis et iura et officia apud Aetolos distributa fuisse: omnes ciuitates certum sed pro ipsarum magnitudine diuersum numerum suffragiorum in senatu Aetolorum tulisse, atque ad hunc suffragiorum numerum adcommodatam fuisse sumptuum publicorum partem quam una quaeque ciuitas ferret.

Ceterum animaduertendum hoc quoque est, senatorem illum *βουλευτάν* appellari, non *ἀπόκλητον* neque *σύνεδρον*. Quaeritur igitur, quae ratio intercesserit inter *βουλευτάς*, *συνέδρους*, *ἀποκλήτους*. Quae non tantum diuersa eiusdem collegii nomina esse suboluit etiam Tittmanno (Griechische

Staatsverfassungen p. 727). Post quem raro dubitationes de hac re ortae sunt. Nam etiam Boeckhius CIG II p. 633 ad n. 3046: „Synedri, inquit, sunt concilii Aetolici magistratus ordinarii, Senatus quippe". Qui cum de apocletis nihil addat, num hos pro eisdem habuerit non perspicitur. Ceterum eam rem nollem umquam in dubitationem uocatam esse: *συνέδριον* senatum esse, *συνέδρους* senatores [1]. Quod non bene Droysenus [2] negauit (III 1, p. 447 adn. 1), qui *συνέδρους* consilium ex apocletis delectum fuisse coniecit, prytanium Atheniensium simile. Quae sententia probari posse mihi non uidetur. Senatus enim omnium foederum et amphictioniarum *συνέδρια* uocabantur. Ei autem qui ad haec collegia a ciuitatibus mittebantur, et *σύνεδροι* appellabantur et *βουλευταί* (cf. p. 22). Ad hoc igitur collegium Pereenses unum senatorem mittere iubentur. Restat, ut quaeramus, num idem sit collegium *ἀποκλήτων*, quod Liuius appellat 'sanctius consilium' (XXXV 34, 2. cf. XXXVI 28 extr.).

Quibus uerbis plerique uiri docti prohibiti non sunt, quominus *ἀποκλήτους* pro senatu haberent, i. e. pro eisdem atque *συνέδρους*, quod fecerunt et Schornius (Geschichte Griechenlands. Bonn. 1833 p. 26 sq. [3]) et Schoemannus (Ant. iur. publ. Gr. p. 439) et Ussingius (p. 5) et Kuhnius (Entstehung d. St. p. 125 sq. [4]) et Vischerus in iudicio quod scripsit de libro Freemani (Scr. min. I p. 577). Idem antea (ib. p. 374) Freemani sententiae magis adnuerat, cum et ipse cum demiurgis Achaeorum *συνέδρους* compararet, quam sententiam postea iure spreuit. Apocletos et synedros distinxit

[1] Quamquam quod Ussingius hoc Polybii uerbis XXI 32 (XXII 15), 1 fulcire sibi uisus est (p. 4), mire errauit. Illud enim quod hoc loco commemoratur *συνέδριον*, Romanorum nimirum senatus est: cf. c. 30 (13), 6. 16. c. 31 (14), 1.

[2] Etiam Freemanus p. 335 sq. *ἀποκλήτους* senatores, *συνέδρους* magistratus demiurgorum Achaeorum similes fuisse arbitratur.

[3] Is mira quaedam de apocletis refert, uelut contra Aetolorum leges potestatem de summa rerum eos sibi arrogasse.

[4] Qui cum satis infeliciter a Liuii uerbo 'principes' profectus sit, mirum non est hunc uirum sagacissimum nihil quod magni momenti sit de apocletis effecisse. Neque enim minus constanter umquam ullo uerbo scriptor usus est: cf. locum notissimum Liv. XXXIII 35 cum Polyb. XVIII 48, 7.

Brandstaeterus[1], qui tamen rationem quae inter eos intercessisset non definiuit.

Mihi quidem parum ueri simile uidetur, idem collegium tot diuersis nominibus appellatum esse, multo minus autem totum Aetolorum senatum, qui certe ualde magnum numerum hominum amplectebatur, cum uel Melitaeensium ciuitas satis parua plus uno senatore haberet, perpetuo consedisse (quod Schoemanno uisum est l. c.). Immo ut Achaeorum senatus nisi ad concilia communia non conuenire consueuit, idem apud Aetolos moris fuisse opiner. Tamen ut apud Achaeos erat collegium quoddam hominum qui perpetuo munere fungentes eas quibus opus erat res quotidie curabant, demiurgi scilicet, ita necessario etiam in Aetolorum ciuitate praeter summos magistratus collegio opus erat, quod in illis officiis curandis praetorem adiuuaret. Neque quodnam illud collegium fuerit, dubitare licet, si Polybii historiam satis respexeris. Cuius praeter ceteros locos unum IV 5, 9 adferam, ubi de Dorimacho et Scopa tumultuose bellum lacessentibus dixit: *οὔτε κοινὴν τῶν Αἰτωλῶν προσδεξάμενοι σύνοδον, οὔτε τοῖς ἀποκλήτοις συμμεταδόντες.* Quibus uerbis luculenter apparet, apocletos perpetuo consedisse, quod etiam Schoemannus recte perspexerat. Idem certe efficitur e Liuii XXXV 34, 2: 'Concilium quidem uniuersae gentis post dimissos Romanos non habuerunt, per apocletos autem — id agitabant'. ib. c. 46 init. 'dimisso concilio — rex postero die cum apocletis eorum — consultabat'. Hanc ipsam autem ob rem fieri non posse, ut apocletos pro toto senatu habeamus, uiri docti, quantum uideo, non perspexerunt. Quomodo enim collegium hominum trecentorum uel quingentorum — nam quot fuerint, non accurate scimus — negotia continua curare poterat? Quod apocletos fecisse cum multis aliis locis tum e Polyb. XX 9 sq. apparet. Hi enim cum legatis exterarum ciuitatium agebant (Pol. XXI 4 [2], 7. 14. c. 5 [3], 1): hi concilia extra ordinem conuocabant (XX 10, 11. 14): hos igitur Polybius saepe *Αἰτωλῶν ἄρχοντας* dicit (IV 26, 5. XXI 4 [2] 7, eosdem quos c. 5 [3], 1 *ἀποκλήτους* uocat. X 42, 4). Quod minus aptum est

[1] Geschichten des aetolischen Landes etc. p. 309. 312.

senatui, optime autem conuenit collegio perpetuo prytanium simili. Neque ullam noui totius antiquitatis ciuitatem cuius senatus perpetuo consederit. Immo ut Athenis prytanium, sic apud Aetolos apocletorum collegium ex senatoribus selectum fuisse uidetur, quod simili atque prytanes Atheniensium munere fungebatur (praeterquam quod potestas eorum maior fuerit). Quae res comprobatur Liuii uerbis XXXV 34: 'apocletos — ita uocant sanctius consilium: ex delectis constat uiris'; XXXVI 28: 'consilio delectorum, quos apocletos uocant'.

Ceterum et ipsos apocletos satis multos fuisse ab omnibus fere qui de hac re scripserunt uiris doctis animaduersum est, cum ex eis triginta delecti sint, qui cum Antiocho rege de bello consultarent (Pol. XX 1. a. C. 191). Tamen maiorem eorum numerum fuisse quam prytanium Atheniensium ex hac re effici non potest[1].

Haud minoris certe momenti est quod de tributis Aetolorum ex hoc loco discimus, scilicet pro rata parte senatorum quos singulae ciuitates ad synedrium mitterent, ea distributa fuisse. Qua re refelluntur ea quae de ciuitatibus tributariis neque iuris sympolitici plene participibus quidam contenderunt, in quibus est ipse Droysenus III 1, 447. Hic enim ex Aeliani quibusdam uerbis (apud Suidam v. *ἀνήνασθαι*) efficere conatus est, Locros Opuntios non tam sympolitiae Aetolorum participes, quam *φόρον ὑποτελεῖς* fuisse, eundemque uel similem in foedere Aetolico locum et Cephalleniis et Boeotis et Mantineensibus, Tegeatibus, Orchomeniis et ciuitatibus quibusdam Hellespontiis, quin etiam Ceiis attribuit. Quam sententiam uellem etiam confidentius quam fecit, Vischerus reiecisset (Scr. min. I p. 373 adn. 2; p. 578). Quare hoc moneo, *δασμόν* illum Locrorum qui ab Aeliano commemoratur, nihil aliud esse quam quae in nostro titulo sollemniter dicitur *ἐσφορά* (v. 20 *ἐμφερόντω*); quo nomine etiam Achaei utebantur pro tributis quae ciuitates eorum ad sumptus publicos sympolitiae conferebant (Pol. IV 60, 4). Cephal-

[1] De senatus Aetolorum *προστάταις* cf. infra ad § 9.

lenios autem, de quibus ad Schornium (p. 29) legentes relegat Droysenus, hic quidem tamquam subditicios Aetolorum fuisse censuit. At si hoc inde demonstrare conatus est, quod Cephalleniae in pace Aetolorum et Romanorum mentio fiat (Pol. XXI 32 [XXII 15] 12), non item Eleorum: unde non eandem inter Aetolos et Cephallenios atque inter Aetolos et Eleos foederis rationem intercessisse coniecit, huic argumento iure diffidas. Quamquam hoc Schornio concesserim, Cephallenios, quantum ex Polybio colligimus, sympolitiae Aetolorum participes non fuisse.

Boeotos quidem bello uictos ab Achaeis ad Aetolos defecisse, Polybius refert (XX 5, 2). Sed inde nihil eius modi quale Droysenus censuit, effici posse, cognoscas e Polybii uerbis: *προσένειμαν Αἰτωλοῖς τὸ ἔθνος*, quibus eisdem uerbis de Arato usus est, qui Sicyonios Achaeorum sympolitiae adtribuit: II 43, 3 *τὴν πατρίδα . . . προσένειμε πρὸς τὴν τῶν Ἀχαιῶν πολιτείαν.*

Multo minus autem, quod etiam ciuitates Peloponnesi, Tegeam scil., Mantineam, Orchomenum et Phigaliam, non omnibus ciuitatium Aetolicarum iuribus usas esse contendit, cum Polybii uerbis conuenit: II 46, 2. IV 3, 6. (Cf. Vischerum l. c.)

Quod uero Droysenus et Lysimachenses et Chalcedonios et Cianos Aetolos fuisse dicit (III 1, 448; 2, 72), de his difficilius iudicium est, quoniam Polybius sibi ipse aperte obloquitur, cum XV 23, 8 dicat: *φίλων ὑπαρχόντων καὶ συμμάχων Αἰτωλῶν Λυσιμαχέων, Καλχηδονίων, Κιανῶν.* XVIII (17) 3, 11: *Λυσιμάχειαν μετ' Αἰτωλῶν ταττομένην καὶ στρατηγὸν ἔχουσαν παρ' αὐτῶν* . . . § 12 *Κιανοὺς παραπλησίως μετ' Αἰτωλῶν συμπολιτευομένους.* Uterque enim locus ad unum idemque tempus, scil. annum a. C. 202 referendus est, quo tempore Philippus urbes illas cepit. Hic tamen nodus eo fortasse modo solui potest, ut Polybium priore loco minus accurate dixisse coniciamus, sed cum ciuitates tres quae non eodem sed diuerso modo cum Aetolis coniunctae erant, uno enuntiato complecteretur, eo uerbo usum eum esse quod laxiorem coniunctionis modum significaret; posteriore autem loco, ubi Aetolum quendam Philippo obiurgantem fecit, de

Cianis uidetur eis uerbis usus esse quae regis facinori plus inuidiae inferrent. Tamen ne ita quidem, opinor, Cianos sympolitiae Aetolorum participes fuisse dixisset, si socii tantum fuissent. Qua re hos quidem Aetolis adscriptos, Chalcedonios autem socios eorum fuisse censeam. De Lysimachensibus dubitare licet, cum parum perspicue dicta sint uerba *μετ' Αἰτωλῶν ταττομένην*, quamquam haec de sympolitia potius quam de societate acceperim propter ea quae sequuntur: *παραπλησίως μετ' Αἰτωλῶν συμπολιτευομένους*. Ceterum subditicias uel tributarias has ciuitates fuisse, nusquam traditum est, neque has minus quam alias ciuitates senatores ad concilia communia misisse. Comitia quidem Panaetolica ciues obire non potuisse per se intellegitur (cf. Vischer p. 578); id tamen, non quo inde iure excluderentur, sed propter longinquitatem sedium eorum fieri non potuit.

Denique de Ceiis Droysenus prorsus errauit, quod titulos CIG 2350—2352 pro decretis habuit quibus Ceii in sympolitiam Aetolorum recepti sint. Immo isopolitiam, non sympolitam Naupactios et Ceios sibi inuicem his populi scitis praestitisse, Aetolos autem nihil nisi amicitiam publicam renouasse et asyliam Ceiis decreuisse, etiam Kuhnius monuit (p. 120), qui tamen uerba *ὡς Αἰτωλῶν ὄντων τῶν Κείων*, ea nimirum, quae causam lapsus praebuerunt, non recte interpretatur „gleich als ob sie Aetoler waeren". Tum enim *ὡς ἂν εἰ* dictum esset, non *ὡς ὄντων*. Verum quid esset, sagaciter uidit Buecherus (De gente Aetolica Amphictyoniae participe. Bonnae 1870 p. 19), qui a Naupactiis Ceios originem deriuasse docuit, citato Heraclide Pont. *πολ. Κείων* (c. 9), in illorum autem locum Aetolos successisse, postquam illi in horum gentem nomenque concessissent. Hoc igitur illis uerbis indicatur: origine sua propinquos esse Ceios Aetolis. Qui cum eis amicitiam facere non potuissent, si sympolitiae ipsorum adscripti fuissent.

Ussingii autem (p. 9) errorem, qui titulum Aetolicum CIG 3046, quo asylia Teiis datur, adeo non perspexit, ut hos quoque Aetolos fuisse dicat, post Vischerum (p. 578) commemorare uix opus est. Denique de Polyb. IV 25, 7 cf. Vischer p. 578.

Nugae igitur sunt ciuitates illae tributariae uel subditiciae Aetolorum.

§ 5. Qua ratione computatur, quam partem tributi, quod e communi aerario antea soluebatur, secessione facta Pereenses susciperent, eadem etiam aeris alieni portio illis adtribuitur, quod ciuitates coniunctae communiter contraxerant (v. 19 sq.). Haec plana sunt, paullo difficiliora ea quae sequuntur: *ἀποδόντων δὲ οἱ Πηρεῖς — ἔτη τρία.* Recte quidem hanc sententiam ab eis quae praecedunt, seiunxisse uidentur Ussingius et Rangabaeus. Haec enim non tum fieri iubentur, cum Pereenses a Melitaeensibus secesserint, sed etiam si sympolitia eorum permaneat. Quod apparet e uerbis *ἃς ὀφείλοντι ἐτέων τριῶν.* Praeter aes alienum commune igitur Pereensium uicus solus pecuniam mutuam acceperat, de qua cum Melitaeensibus litigabat. (Nisi enim lis de ea orta esset, arbitri certe hanc non curassent.) Verbum *δεκάτας* Ussingius pro uectigalium genere habuisse uidetur, cum sic uerteret: 'decumas quasdam creditoribus oppignoratas'. Aliter Rangabaeus iudicauit, qui pro usuris aeris alieni has decumas habuit. Hoc mihi magis placere confiteor.

Causam autem litis quae de hoc aere alieno orta erat, si quid conicias, eam dixeris, quod Pereenses non a se, sed ab aerario communi id deberi contenderint, itaque ut usurae ex illo soluerentur, proposcerint. Melitaeenses hoc a se defendebant. Ita fortasse factum est, ut per tres annos usurae non soluerentur. Arbitri Perensibus aes alienum adtribuunt atque usuras retro debitas intra tres annos soluere eos iubent.

§ 6. Aerarium igitur suum Pereenses habebant. Tamen redituum publicorum pars certe non ad hoc, sed ad aerarium commune redibat. ut supra de agro publico uidimus, qui non Pereensium sed Melitaeensium, id est aerarii communis nomine locabatur. Quam ob rem non omnes sumptus qui ad administrationem rerum publicarum Pereensium desiderabantur, e Pereensium, sed pars eorum e communi aerario soluebatur.

Atque de pecuniis quae quotannis Pereensibus soluendae erant, hos cum Melitaeensibus litigasse ex hac

parte arbitrii apparet. Qua re Rangabaeus Melitaeenses illam obligationem neglexisse coniecit. Utut hoc erat, arbitri ad quasdam certas res quantum in futurum Pereenses acciperent, constituerunt. Admodum paruos hos sumptus esse, ut magna omnium rerum uilitas illo tempore fuisse uideatur, Ussingius monuit; sed subsidiine loco fortasse hae pecuniae Pereensibus datae sint ad sumptus ab ipsis praestandos, non requisiuit. Itaque ut de Pereensium rebus aliquid inde efficiamus, de singulis rebus uidendum erit. — Aegineticam pecuniam esse quae commemoratur, recte haud dubio docuit Ussingius. (Cf. Hultsch, Metrol. p. 190 sq.). Soluere igitur iubentur Melitaeenses:

1) archontibus Pereensium argenti minas tres. Minam argenteam aegineticam Hultschius (p. 199) ualere computauit nostrae pecuniae M. 108. 85 Pf. Tres minae igitur respondent fere 330 M. Dubitaueris num haec pecunia pro mercede archontum Pereensium habenda sit, quos mireris pecuniam accipere. Sed si quis coniciat ad suppeditandos sumptus administrationis uici quos archontes curauerint, in commune hanc pecuniam adsignari, eamque ob causam archontibus solutam esse, huic illud obstat, quod de his sumptibus infra summatim uerba fiunt: *καὶ τὰ λοιπά* etc. Facere igitur non possumus, quin pro mercede has tres minas archontas accepisse intellegamus. Dolendum autem est, quod non dictum est, quot fuerint illi archontes, ita ut quantum quisque acceperit non cognoscamus.

2) praeconi stateras 10. Stater argenteus aegineticus teste Hultschio (ibidem) ualet circa M. 2. 20 Pf. Praeco igitur Pereensium a Melitaeensibus fere 22 M. quotannis accipiebat. Cum autem nesciamus, num fortasse subsiciuis tantum his operis aliquis functus sit, diiudicare non possumus, utrum haec summa pro tota mercede habenda sit necne.

3) ad oleum quo in gymnasio iuuenes utantur, 10 stateras (M. 22). Secundum Boeckhium (Oec. publ. Ath. I[1] 109) Lampsaci Aristotelis temporibus olei *χοῦς* tribus drachmis Atticis constitit.[1] Aut igitur multo uilius oleum Meliteae erat, aut 10 stateribus decem fere *χόες* quotannis comparari poterant, i. e. in dies nostra mensura fere 0,1 l.

[1] Ceterum cf. editio II ibid.

4) ad sacrificium Soteriorum comparandum 5 stateras (M. 11). Hoc sacrificium non ad Soteria Delphica missum esse apparet. Ioui Soteri Pereenses haec Soteria egisse ueri simile est, cui Acraephiae (ut Boeckhio uisum[1]) et Megalopoli[2] et Sicyone[3] Soteria agebantur. Sicyne ad memoriam Arati, qui a tyranno urbem liberauerat, ea fiebant. — Deabus Eleusiniis Eleusine ad salutem senatus populique Atheniensium[4] Soteria agebantur: item Cyzici Proserpinae, ut uidetur[5]. Tertio a. C. saeculo Apollini Deli, Athenis Ioui Soteri sacrificia Soteria Delii celebrauerunt ad honorem Philoclis regis Sidoniorum[6]. Ioui Seruatori et Apollini Pythio quinto quoque anno Soteria Delphica fiebant[7]. Ut illa, ita haec propter periculum Gallorum feliciter defensum instituta esse, Rangabaeus haud male coniecit.

Pereenses praeter sacra communia utriusque ciuitatis sua quoque sollemnia egisse uidemus, ad quae Melitaeenses pecuniam contulisse memoria dignum est.

Mireris autem ad hoc sacrificium non plus quam 5 stateras decerni, quibus ne unum quidem bouem, sed ouiculam fere comparare poterant Pereenses, si uera sunt quae de pecorum pretiis Boeckhius exposuit (Oec. p. Ath. I[1] 80 sq.). Qua re subsidii loco hanc certe pecuniam Pereensibus datam, hostiam autem ipsam aliunde comparatam esse suspicer. — Itaque de ceteris sumptibus similiter iudicabimus.

Summa igitur eorum quae Pereensibus quotannis soluere iubentur Melitaeenses, est staterum 175 (fere 385 M.). Nec tamen haec summa omnium est quae ex aerario communi accipiebant. Praeterea enim constituitur, ut ceteros quoque sumptus publicos Pereensium Melitaeenses curent, i. e. ut si ad alias administrationis partes subsidiis egeant, haec eis, sicut

---

1 CIG 1587 = Le Bas, Béotie 585.

2 CIG 1536 = Le Bas, Péloponnèse 331 = Dittenb. Syll. 210.

3 Plut. Arat. 53.

4 CIA II 315 = Dittenb. Syll. 386.

5 Bull. de Corr. hell. IV 471 sqq.

6 ibidem p. 327 = Dittenb. Syll. 155.

7 Cf. Dittenb. Syll. 149. 150. De Soteriis Bithynorum v. Polyb. IV 49, 3.

antea fieri solebat, ex aerario communi soluantur. De quibus arbitri certius nihil constituerunt, cum de his non litigaretur.

§ 7. 8. Proxima arbitrii pars grauissimi ad sympolitiae rationem cognoscendam momenti est. Decernunt enim arbitri, ut legibus Melitaeensium Pereenses utantur, causae autem Pereensium quae ad aedilium iurisdictionem pertineant, eae scilicet quae e commercio forensi oriantur, quarto quoque mense aediles Melitaeenses in Peria diiudicent. Grauissima igitur sympolitiae condicio a Pereensibus ad incertum reuocata erat. Quam arte enim inter se coniuncta esse soleant *συμπολιτεύεσθαι* et *τοῖς αὐτοῖς νόμοις χρῆσθαι*, supra ostendi.

Causae inter Pereenses ortae num omnes ad Melitaeensium magistratuum iurisdictionem pertinuerint, an pars earum, non expresse dicitur: illud tamen coniecerim. Certe has de quibus agitur, nimirum paruarum rerum causas aediles Melitaeensium iudicibus non adhibitis ter per annum in Pereensium uico diiudicabant. (Cf. Aristotel. Pol. IV 13, 2). Quae maioris momenti erant, eas Meliteae a iudicio e tota ciuitate, i. e. e Melitaeensibus et Pereensibus, constituto diiudicatas esse probabile est.

§ 9. Hoc arbitrium lapidibus inscriptum poni iubetur et Meliteae et Delphis, scilicet in loco sacro, et Calydone, unde arbitri sumpti erant, et Thermi in sede concilii Aetolorum.

Testes constituuntur, nimirum ratum esse hoc arbitrium, praeter ceteros senatus Aetolorum et praesides eius. Praesides septem nominari dixit Ussingius, adstipulante Vischero (p. 374 adn. 2). Contra quam sententiam Bergkius (l. c.) septem horum hominum duos aperte *προστάτας* senatus esse, recte monuit, duos magistratus, magistrum equitum scilicet et scribam, reliquos tres priuatos esse censuit. Cuius sententiae argumentum — quod optimum esse iudico — adtulit, patronymica, quae his tribus nominibus addantur, in ceteris omitti: nimirum quoniam illi homines qui essent, magistratus nomine satis indicabatur.

Commendatur autem haec sententia eo, quod omnino probari non posse uidetur, magistratus Aetolorum senatorum numero adscriptos fuisse. *Προστάτας* enim e senatoribus creatos esse nemo negabit. Itaque non amplius erit, cur cum Ussingio miremur, magistrum equitum fuisse in praesidum numero, praetorem non fuisse: immo ne ille quidem erat. Tamen utrum duo fuerint senatus praesides an plures, ex hoc loco effici non potest. Munus eorum eius simile fuisse uidetur quo *πρόεδροι* Athenis fungebantur, praeterquam quod illi ad unum tantum diem, hi uidentur in longius temporis spatium constituti esse.

Senatus anni significatur scribae nomine. Is *Λύκος* est, praeter quem alius scriba commemoratur, cuius nomen in *-χος* desiit, quare *Ἔποχος* suppleuit Ussing, uel hoc uel *Ἀντίοχος* Bergkius. Atque *Λύκον* illum Ussingius et Vischerus pro eo scriba habuerunt qui apud Polybium dicitur *δημόσιος γραμματεύς* (XXI 32 [XXII 15] § 10), qui post praetorem et magistrum equitum tertius erat summorum sympolitiae magistratuum, hunc pro scriba senatus. Et Ussingius et Rangabaeus illum anni eponymum fuisse censuerunt. Sed errauerunt uiri doctissimi: neque enim scriba sed praetor apud Aetolos eponymus erat (Dittenb. Syll. 325. 446. 447. Wescher et Foucart, Inscr. de Delphes 1). Quo magis etiam Ussingii et Vischeri sententia de scribis reicienda et Bergkio potius adstipulandum esse mihi uidetur; qui senatum a sui scribae nomine significari censuit, postea inter testes enumerari praeter senatus praesides summorum magistratuum duos. Hunc igitur *Ἀντίοχον* uel *Ἔποχον* recte, ut mihi uidetur, Bergkius *δημόσιον γραμματέα* intellexit.

Testium primus dicitur Spattius esse, cuius patria nobis ignota est. alter ex Apollonia ortus: „ex Epiro, ut arbitror", addit Ussingius, quod, quamquam Rangabaeus adstipulatur, sine dubio reiciendum est. Quis enim Apolloniam illam sympolitiae Aetolorum participem fuisse umquam audiuit? *Ἀπολλωνιεύς* quidam, ciuis ut uidetur nostri, commemoratur etiam apud Wescher et Foucart 361, 9. Dubitare autem licet, utrum Apollonia castellum Aetolorum intellegendum sit prope Eupalium situm in Locride (a Liuio XXVIII 8 comme-

moratum), de quo Kuhnius cogitauit (p. 94 a. 63), an ea urbs quam Stephanus Byz. quinto loco adfert s. v. *ε' ἐν νήσῳ τῆς Ἀκαρνανίας μία τῶν Ἐχινάδων*. Nam has in Aetolorum potestate fuisse ueri simile est, quoniam eorum etiam Oeniadae fuerunt (inde ab Alexandri M. temporibus usque ad 219 a. C. et iterum 210—189 a. C. Diod. XVIII 8. Polyb. IV 65. IX 39, 2. XXI 32 [XXII 15], 14).

Mirum autem est quod de Erythris (v. 35) Aetolorum Ussingius dixit: „scriba Erythraeus, e Boeotia opinor, quamquam possis etiam de Ionica urbe cogitare. siquidem et Lysimachia et Chalcedon et Teus Aetolorum foederi adscriptae erant“. Erythras in Asia sitas in Aetolorum sympolitia fuisse, numquam audiui: de ceteris cf. p. 120 sq. Boeoti autem Aetolorum sympolitiae non nisi perbreue tempus adscripti fuerunt, scil. inde ab anno 244 usque ad Demetrii regis tempora, qui regnauit 239—229 (Polyb. XX 5, 3). Aliter censuerunt Rangabaeus et Kuhnius (p. 112. 130), qui ad „Erythras Aetolorum, quae prope Eupalium sunt“ (Liv. XXVIII 8), hunc Erythraeum rettulerunt. Eandem urbem Stephanus commemorat s. v. Possis etiam de Erythris *ἐπὶ Θερμοπύλαις* cogitare (cf. Dittenbergeri Syll. 190. Mitth. d. arch. Inst. z. Athen. IV 1879 p. 206 sqq.).

Ethnicum *Ἑρμάττιος* quo referendum sit nescimus; legitur etiam apud Wescher et Foucart 178 v. 4, ubi itidem Aetolus est Lycus quidem Hermattius. Ceterorum testium unus est Pleuronius, unus Naupactius, unus Heracleensis, ex Heraclea Trachinia nimirum, quam ol. 125, 1 = 279 Aetoli sibi adiunxerant (Paus. X 21, 1. cf. c. 23, 9).

Restat ut condiciones sympolitiae Melitaeensium et Pereensium quae ex nostro titulo effici possunt, paucis uerbis complectamur.

Omnes Pereenses ciuitatis iure integro Melitaeensium usos esse, ex comparatione ceterarum sympolitiarum constat. (Cf. p. 100. 119 sq. et tituli Stiriensis v. 10 sq.) Item legibus Melitaeensium utebantur Pereenses. Fines autem utriusque ciuitatis separati erant, praeterquam quod agri publici Pereensium possessione fruebatur tota ciuitas. Quod

ad res externas adtinet, Pereenses ciuitatem separatam non habebant[1], immo hae duae ciuitates in unam coniunctae erant, quae etiam unius membri sympolitiae Aetolorum locum obtinebat. Σύνεδροι igitur communis ciuitatis nomine ad senatum Aetolorum delegabantur, itidemque tributum e communi, i. e. e Melitaeensium, aerario soluebatur.

Minus constat ex hoc titulo de iuribus quae separata Pereenses retinuerint. Archontes quidem eorum uici magistros potius quam magistratus dicas, neque potestatem his magnam fuisse conicias, quippe qui mercedem acciperent, quam accipere magistratus Graecos prorsus insolitum est. Munus igitur archontatus Pereensium erat non honos, quoniam administrationis quidem negotia curabant, omnia autem quae maioris momenti erant, a comitiis uel Pereensium uel totius ciuitatis eiusque magistratibus decernebantur.

Iurisdictionem archontes Pereensium non habuisse uidentur: immo paruae causae ab aedilibus (ἀγορανόμοις) Melitaeensium diiudicabantur, maiores uidentur apud magistratus et iudicia Melitaeensia actae esse.

Reditus publicos quosdam certe Pereenses habebant, nam aes alienum suo nomine contraxerant, et usuras eius soluere iubentur. Sed certa uectigalia uel tributa quae apud Pereenses exigebantur, uelut merces agri publici locati, ad aerarium Melitaeensium redibant. E quo inuicem subsidia ad certas quasdam administrationis partes Pereensibus soluebantur. Atque similem iuris rationem etiam inter Stiriorum et Medeoniorum ciuitates sympolitia coniunctas intercessisse infra uidebimus. Itaque aeris alieni communis usurae e Melitaeensium aerario, ad quod Pereenses illo modo conferebant, soluebantur.

Sacrorum publicorum Melitaeensium quin Pereenses participes fuerint, quippe qui ciues Melitaeenses essent, non est cur dubitemus. Praeterea autem, ut solebant tribus et δῆμοι ciuitatium Graecarum, sua quoque sollemnia agebant.

[1] Euromeos sympolitia cum Mylasensibus coniunctos, rerum externarum suo nomine expertes deprehendimus in titulo Mylasensi Le Bas, Asie min. 394 (II a. Chr. saeculo?).

IV. DE STIRIORUM ET MEDEONIORUM SYMPOLITIA.

Pactum publicum quo Stirii et Medeonii, ciuitates Phocicae, sympolitiam inter se fecerunt, exstat in titulo duobus eiusdem lapidis lateribus inscripto, quem inuenit anno 1880 et commentario accurato instructum publici iuris fecit Mondrius Beaudouin (in Bull. de Corr. hell. V 1881 p. 42 sqq.), repetiit addita quorundam locorum interpretatione Dittenbergerus (Syll. Inscr. Gr. 294).

Θ]εὸς τύχαν ἀγα|[θ]άν.

1. *Στραταγέοντος | [τ]ῶν Φωκέων Ζευξίου | [μ]ηνὸς ἑβδόμου. Ὁμολο[γ||ί]α τᾶ πόλει Στειρίων καὶ | [τᾶ] πόλει Μεδεωνίων.*

2. *Συ[ν|ε]πολίτευσαν Στείριοι κα[ὶ | Μ]εδεώνιοι ἔχοντες ἱερά, πό|[λι]ν, χώραν, λιμένας πάντα || [ἐ]λεύθερα ἐπὶ τοῖσδε·*

3. *Εἶμεν | [τ]οὺς Μεδεωνίους πάντας | [Σ]τιρίους ἴσους καὶ ὁμοίους, | [κ]αι συνεκ(κ)λησιάζειν καὶ συ|ναρχοστατεῖσθαι μετὰ τᾶς || [πό]λιος τῶν Στιρίων καὶ δικά|[ζε]ιν τὰς δίκας τὰς ἐπὶ πόλι|[ο]ς πάσας τοὺς ἐνικομένους | [τ]αῖς ἁλικίαις.*

4. *Ἱστάνθω δὲ κα[ὶ | ἱ]εροταμίαν ἐκ τῶν Μεδεω||[ν]ίων ἕνα τὸν θυσέοντα τὰς | θυσίας τὰς πατρίους Μεδεων|[ί]οις ὅσαι ἐντὶ ἐν τῷ πολιτικῷ νόμ[ω, | μ]ετὰ τῶν ἀρχόντων τῶν στα|[θ]έντων ἐν Στίρι. λανβανέτω || [δ]ὲ ὁ ἱεροταμίας ἀρέσμιον ὃ [τοὶ | ἄ]ρχοντες ἐλάμβανον, ἡμι|[μ]ναῖον καὶ τῶν χροῶν τὸ ἐπ[ι|β]αλὸν τῷ ἱεροταμίαι.*

5. *Συνδι|[κ]αξεῖ δὲ ὁ ἱεροταμίας μετὰ||[τ]ῶν ἀρχόντων τὰς*

δίκας ἃς | [τ]οὶ ἄρχοντες δικάζοντι, καὶ | [κ]λαρωσ(ε)ῖ τὰ δικαστήρια ἅ κα | δέῃ κλαρώειν μετὰ ⟨τα⟩ τῶν ἀ[ρ]||χόντων.

6. *Μὴ ἔστω δὲ ἐπάναγ||[κ]ες λειτουργεῖν τοὺς Μεδε|ωνίους ἐν Στίρι τὰς ἀρχὰς ὅσοι | γεγένηνται ἐν Μεδεῶνι ἄρ|χοντες, ξενοδίκαι, πρακτῆρες, | δαμιοργοί, ἱερεῖς, ἱεράρχαι, καὶ || τᾶν γυναικῶν ὅσαι ἱερητεύ|κατι, εἰ μή τις ἑκὼν ὑπομένοι· | ἱστάνθων δὲ ἐκ τῶν ἀλειτου|ργήτων τῶν Μεδεωνίων κ|αὶ ἐκ τῶν Στιρίων.*

7. *Δαμιοργ||εόντων δὲ καὶ τὰ ἐν Μεδε||[ῶνι ἱ]ερὰ καθὼς ὁ πολιτικὸς νό|μος κελεύει.*

8. *Καὶ τὰν χ[ώρα]ν τὰν Μεδεωνίαν εἶμεν | [π]ᾶσαν Στιρίαν καὶ τὰν Στι||ρίαν Μεδεωνίαν, κοινὰν π[ᾶ|σα]ν.*

9. *Κοινωνεόντω δὲ οἱ Μεδε||[ώ]νιοι τᾶν θυσιᾶν τᾶν ἐν Στί||ρι πασᾶν, καὶ τοὶ ⟨τοι⟩ Στίριοι τᾶν ἐν Με|δεῶνι πασᾶν.*

10. *Μὴ ἐξέστω δὲ ἀποπολιτεύσασται τοὶ[ς] | Μεδεωνίους ἀπὸ τῶν Στιρί||[ων]· μηδὲ τοὺς Στιρίους ἀπὸ | [τ]ῶν Μεδε[ωνί]ων· ὁπότεροι ||[δ]έ κα μὴ ἐμμείνωντι ἐν τοῖ||[ς] γεγραμμένοις ἀποτει|σάντων τοῖς ἐμμεινά[ν]||τοις ἀργυρίου τάλαν|τα δέκα.*

Latus b.

. . . . *π]οιεόντων.* ||

11. *[Γ]ραψάντων δὲ τὰν ὁμ[ο]|λογίαν ἐν στάλαν καὶ ἀν[αθέ]ντων ἐν τὸ ἱερὸν τᾶς Ἀ[θαν]||ᾶς, θέστων δὲ τὰν ὁμο[λογί]αν καὶ παρὰ ἰδιώταν ἐσ[φρα]||γισμέναν· ἁ ὁμολογία π[αρὰ] | Θράσωνα Λιλαιέα.*

12. *Μάρ[τυ]||ρες Θράσων Δαματρίου Ἐ|λατεύς, Εὐπαλίδας Θρά|σωνος Λιλαιεύς, Τιμοκράτης Ἐπινίκου Τιθορρε|ύς.*

13. *Δόντων δὲ τοὶ Στίριοι | τᾶ φατρίᾳ τῶν Μεδεωνί|ων ἐν ἐτέοις τεττάροις | ἀργυρίου μνᾶς πέντε κα[ὶ || τ]όπον τὰν καλειμέναν [Δ]α[μα]τρείαν* (?).

Hic titulus cum iam ab eis quos supra nominaui uiris doctis illustratus sit, neque difficultates quae ad singulas res pertineant, multae insint, breuiore quam ceteri indiget explicatione.

Exemplum exhibet, ut supra significaui (p. 107), eiusdem rei quae in titulo Melitaeensi occurrit, scilicet ciuitatium duarum quae et sympolitiae maioris quam *ἐθνικήν* appellabant,

Phocensium nimirum participes sint, et artiore sympolitia inter se coniungantur.

Quapropter non ante sympolitiam Phocensium restitutam hoc pactum factum esse recte monet Beaudouinus (p. 53). Phocicas autem urbes a Philippo dirutas (345 a. C.) paullatim restauratas atque ciuitates ante pugnam Chaeronensem restitutas esse Pausanias tradidit (X 3, 2). Ex eodem loco nescio an efficiendum sit, anno 338 etiam sympolitiam inter Phocenses fuisse. Quam fuisse anno 323 constat[1]. Postea ciuitates Phocensium pleraeque alia post aliam in Aetolorum sympolitiam concessisse uidentur, cum in actis Amphictyonicis quibusdam duo suffragia Phocensium recenseantur (Dittenb. Syll. 184. 185), in quibusdam unum (ibidem 186—189), quorum titulorum illos (184. 185) Dittenbergerus anno 229 antiquiores, hos intra annum 228 et 216 scriptos esse iudicat[2]. Quae utut sunt, Phocensium pars etiam anno 219 cum Macedonum rege erat societate coniuncta contra Aetolos, qui eo tempore Daulin et Ambryssum expugnare conabantur (Polyb. IV 25, 2). Certe circa idem tempus ciuitates Phocicas quasdam sympolitiae Aetolorum participes fuisse testatur Polybius (XVIII 47, 9). Proximo autem anno (ibid. V 24, 12. 26, 1. 16) Philippus Phocensium urbes complures cepit et usque ad annum 197 in sua potestate retinuit (ib. XVIII 10, 4), scilicet Elateam (Polyb. l. c. Pausan. X 34, 3. 4), Lilaeam (Pausan. X 33, 3), Anticyram (ib. 36, 6), Phanotum (Polyb. V 96, 4); in quarum numero etiam plures fuisse uidentur, uelut Daulis, siquidem hieme 195/4 Delphus quidam Apollini uendit mancipium quod dicitur *Φωκὶς ἐγ Δαυλίας*, quod fieri uix potuisset, nisi aliquot annis ante hostes inter se fuissent Delphi et Daulienses. Plygoneos autem non minus quam Delphos etiam ante annum 198 Aetolos fuisse, mox ostendam. Aliae ciuitates Phocicae usque ad annum 200 Philippo fortissime restitisse (Polyb. XVI 32), sed tandem omnes fere aut in Macedonum aut in Aetolorum dicionem uenisse uidentur. Tum

---

[1] Dittenb. Syll. 118 = CIA II 184. Diod. XVIII 9, 5. 11, 1. Cf. etiam Pausan. X 20, 3.

[2] Adn. 1 ad titulum 184.

Flamininus quamquam in contione Isthmiaca Phocenses, Locros, alios libertate se donare praedicauit (XVIII 46 [29], 5), paucis diebus post Aetolis concessit, ut Phocenses et Locros sympolitiae participes facerent ita, ut antea fuissent (XVIII 47, 9). Atque re uera annis proximis Phocensium quosdam Aetolos fuisse comprobatur titulis Delphicis qui acta manumissionum ab hominibus Phocensibus factarum continent, cum eis praetorum Aetolorum nomina praescripta sint.

Horum titulorum quosdam collegit Buecherus (De gente Aetolica Amphictyoniae participe p. 33 sqq.), quibus etiam nonnulli addi possunt. Plygonei igitur praetorem Aetolorum praescribunt titulis (qui sunt apud Wescherum et Foucartium 407. 384, item Bull. de Corr. hell. V p. 410 n. 16) ante annum 198, (W. et F. 337) 197 a. C., (380. 385) 196 a. C., (328. 346) 195 a. C., (404) 193 a. C.; — Daulienses (304) a. C. 193; — Tithronii (*Ἐχεδαμιεῖς ἐν Τείθρωνι κατοικέοντες* 318) a. C. 194 mense Heraeo; — Ambryssii (Bull. V p. 414 n. 24 = W. et F. 453) hieme 194/3; — Delphi (Le Bas II 937?, CIG 1702) ante a. 198, (W. et F. 376) a. C. 197, (310) a. C. 195, (329) hieme 195/4, (324) hieme 192/1, (Bull. l. c. n. 17) hieme 195/4, (ib. n. 25) a. C. 193.

Testimonium quo sui iuris rursus fuisse Phocenses appareat, nullum antiquius inueni quam decreta Amphictionum duo autumni 194 (Dittenb. Syll. 206. Bull. de Corr. hell. VII 421 n. IV). Tamen cum etiam paullo post hoc tempus Plygonei, Daulienses, Tithronii, Ambryssii, Delphi in Aetolorum potestate fuerint, ut supra uidimus, non omnes statim ciuitates Phocicae sympolitiae Phocensium participes factae esse uidentur, ita ut dubitatio relinquatur, utrum haec anno 196, an 195 uel 194 restituta sit. Veri similius tamen anno 196 illud factum esse iudico. Acta manumissionum quibus praetor Phocensium praescriptus sit, mihi non innotuerunt anno 178 antiquiora. E quibus titulis apparet fuisse sympolitiae Phocensium participes Tithronios (W. et F. 312. 128), Lilaeenses (312 et aliis), Ambryssios (412. 222. 122). Phanotenses (105. 122. 50), Tithorrenses (105. 35), Stirienses (62), Hyampolitas (212. 82), Elatenses (53. 47), Drymeos

(47), et siquidem etiam fideiussores e sympoliticis potissimum ciuitatibus sumebantur, Anticyrenses (47)[1].

Quae cum ita sint, restat ut quaeramus, utrum prioris an posterioris sympolitiae Phocensium tempori hic titulus adtribuendus sit. Atque litteratura saeculi alterius potius quam tertii esse uidetur. Accedit (ut docuerunt Beaudouinus et Dittenbergerus) quod eius qui huius pacti custos fit (v. 71), Thrasonis Eupalidae f. Lilaeensis, nomen legitur in titulo Delphico anni a. C. 168 (W. et F. 81) et in altero quodam, qui anno 158 uetustior non est, quippe in quo sacerdos Andronicus commemoretur. Huius filius uel pater est testium unus (v. 73: *Εὐπαλίδας Θράσωνος Λιλαιεύς*); alterius testis qui in hoc titulo appellatur, Thrasonis Demetrii f. Elatensis nomen in eodem titulo anni 168 occurrit. Hos igitur cum suo iure Beaudouinus pro eisdem hominibus habuisse uideatur, intra annos a. C. 196 uel 194 et 146 titulum scriptum esse sumamus.

Nam quod Dittenbergerus artioribus finibus hoc spatium determinauit, ideo quod ciues Medeonii commemorantur in titulis Delphicis annorum 194 (Bull. V p. 412 n. 20), 192 (W. et F. 402), 182 (W. et F. 392. 436), neglexit uir doctissimus tres fuisse Medeones, scilicet praeter Phocicam alteram in Boeotia (Steph. Byz. s. v. Strabo IX p. 410), tertiam in Acarnania (Polyb. II 2. 3). Atque sit quidem Phocensis mea pace Cratinus ille Medeonius qui testis loco fungitur in manumissione hominis Physcensis anno 194. Ceteros autem dubites quo referas. De quibus omnibus unum est indicium, siquidem Xenocrates ille qui commemoratur et in titulo 392 et 402 et 436, ciuis est illius Medeonii cui testimonium praestat in 392. Hi autem qui in titulis 392. 402. 436 occurrunt Medeonii, anno 182 Aetoli fuisse uidentur, cum custodem libelli eligant Amphissensem (392), — Amphissa enim illo tempore in Aetolorum potestate erat, — et Xenocrates testimonium praestat homini Calydonio (436). Vades enim et testes, ut significaui,

[1] Denique posterioribus saltem temporibus sympolitiae participes deprehendimus Charadraeos (Curtius, Anecd. Delph. 27 = Le Bas II 899).

fere semper e ciuitatibus sympoliticis sumptos esse deprehendes, si titulos Delphicos perlustraueris. Quare si Phocensium Medeoni hos uiros adtribuas, memineris inde sequi, in Aetolorum potestate fuisse anno 182 hanc ciuitatem. Quod neque fieri potuisse nego, neque factum esse affirmo. Quare huius tituli aetatis terminos quos supra significaui, statuisse satis habeo.

Multo minus certo de causis huius ciuitatium Stiriorum et Medeoniorum coniunctionis iudicare licet, quamuis eis quae modo exposui, pelliciamur, ut cum Medeoniorum ab Aetolis ad Phocenses transitione hoc pactum coniungamus, praesertim cum Magnetes eodem modo a partibus Aegyptiorum in fidem regis Seleuci reductos esse meminerimus.

Iam ad tituli interpretationem adgrediamur.

Q. B. F. F. Q. S.

1. Praetore Phocensium Zeuxia mense septimo, pacto conuento inter ciuitatem Stiriorum et ciuitatem Medeoniorum,

2. sympolitiam inter se fecerunt Stirii et Medeonii, sacra, urbem, agros, portus omnia libera retinentes[1] his condicionibus:

3. Ut Medeonii omnes ciues Stirii sint integro atque aequo iure, et comitiorum participes fiant, et magistratus eligant una cum ciuitate Stiriorum, et causas quae coram ciuitate aguntur, una cum Stiriis diiudicent omnes qui aetatem legitumam adepti sint.

4. Quaestorem sacrorum eligunto e Medeoniis unum qui sacrificia publica faciat more maiorum Medeoniorum, quotquot lege publica (Medeonia) fieri iubentur, una cum archontibus Stiriorum. — Atque accipito quaestor sacrorum portionem[2] horum sacrificiorum eam quam archontes Medeoniorum antea accipiebant, scilicet dimidiae minae (circ. 54 M.), et libamentorum quantum ad quaestorem sacrorum pertinet.

---

[1] Cf. p. 136.

[2] Cf. Beaudouin p. 48 sq. Dittenb. adn. 7.

5. Causas quas archontes Stirii diiudicant, quaestor sacrorum una cum archontibus diiudicato, et quae iudicia sortienda sunt, ea una cum archontibus sortitor.

6. Ne magistratibus fungi Stiriis cogantur Medeonii quicumque Medeone archontatum, praeturam inter peregrinos, exactorum administratorumue munera, sacerdotia, pontificatum gesserunt, neue mulieres quaecumque sacerdotia gesserunt, nisi quis ultro suscipiat. Sed eliganto ex eis Medeoniorum qui immunes adhuc fuerunt, et e Stiriis.

7. Sacra administranto etiam Medeonia quomodo lege publica (Stiria) administrari iubentur.

8. Et ager Medeonius totus Stirius esto, et ager Stirius Medeonius esto, communis iuris uterque.

9. Participes sunto Medeonii sacrificiorum quae Stiri fiunt omnium, et Stirii eorum quae Medeone fiunt omnium.

10. Ne liceat secedere Medeoniis a Stiriis, neue Stiriis a Medeoniis. Utra autem ciuitas pacto non steterit, ei quae steterit pacto, soluito argenti talenta decem (65 300 M.).

11. Tabulae lapideae inscriptum ponunto hoc pactum in templo Mineruae, item deponunto pacti exemplar apud priuatum aliquem sigillo munitum. — Depositum est apud Thrasonem Lilaeensem.

12. Scribendo adfuerunt Thrason Demetrii f. Elatensis, Eupalidas Thrasonis f. Lilaeensis, Timocrates Epinici f. Tithorrensis.

13. Danto Stirii phratriae Medeoniorum intra annos quattuor argenti minas quinque (c. 540 M.) et fundum quae dicitur Damatrea (?).

Quas condiciones cum respicias, iam omnium princeps est haec, ut Medeonii omnes ciues Stirii fiant. Atque quo modo differat hac lege sympolitia Stiriorum et Medeoniorum a sympolitiis eis, quae prorsus aequis condicionibus fiebant ita, ut ne in nomen quidem alterius ciuitatis altera concederet, supra exposui (p. 8). A Smyrnaeorum autem et Magnetum pacto haec sympolitia diuersa est ita, ut Medeonii phratriae Stiriensis locum obtineant (v. 77), cum Magnetes in tribus Smyrnaeorum distribuantur.

Atque leges publicas Medeoniorum hac ipsa condicione tolli, ita ut Medeonii legibus Stiriis adstringantur, quamquam non expressis uerbis dicitur, tamen intelleges, cum quam arte inter se coniuncta esse soleant *συμπολιτεύεσθαι* et *τοῖς αὐτοῖς νόμοις χρῆσθαι* memineris. Qua de re eo minus dubitare licet, cum uel sacra Medeoniorum secundum leges Stirias administrari iubeantur (§ 7)[1].

Quod quidem ad res externas pertinet, Medeonii nimirum non minus quam Magnetes et Pereenses sui iuris esse desinunt. Qua re magistratus Medonii quorum fuisse uidetur has res una cum populo curare, archontes scilicet, abolentur (cf. v. 26). Haec enim iam ciuitatis Stiriae erunt, scilicet magistratuum a ciuitate coniuncta eligendorum et comitiorum quae Medeonii non minus quam Stirii obeant. Tamen ne mireris in hoc titulo legem qua quicquam statuatur de ratione quae intercedat inter sympolitiam Phocensium et ciuitates hoc pacto coniunctas, nullam contineri, cum et in synoecismo Teiorum instituendo de iure Lebediorum in concilio Ionum reseruando, et in arbitrio Aetolorum de senatoribus ad concilium mittendis et de tributis soluendis accuratissime uerba fiant. Nam de hac re statuere Phocensium concilii potius quam ciuitatium ipsarum fuisse memineris.

Ceterum in initio huius tituli occurrit quaedam res, quae in ceteris de quibus diximus pactis non praedicatur, scilicet *ἔχοντες ἱερά, πόλιν, χώραν, λιμένας πάντα ἐλεύθερα*. Quibus uerbis Beaudouinus et Dittenbergerus consuerunt, praestare utrosque, se omnia illa quae enumerantur aere alieno non oppignorata habere. Sed si hoc concedas, quod etiam supra uidimus, ciuitates Graecas illa aetate aere alieno adeo obrutas fuisse, ut haud superfluum uideretur illud praemittere, et fieri potuisse ut Graeci uel sacra oppignorarent, quaeras tamen quomodo hoc de urbe intellegendum sit. Urbem enim ipsam pignori dari, opinor, insolitum est. Itaque cum Thucydidis uerbis supra citatis (II 15) potius haec comparem: *ξυνῴκισα*

[1] Legem significari Medeoniam in uersu 22 apparet; ex contrario in uersu 46 propter appositam uocem *καὶ* lex Stiria intellegenda est. Ceterum *πολιτικὸς νόμος* dicitur, scilicet ut discernatur ab *ἰδιωτικοῖς νόμοις* h. e. priuatis legibus, quae erant de sacris priuatis.

παντας καὶ νεμομένους τὰ αὑτῶν ἑκάστους, ἅπερ καὶ πρὸ τοῦ, ἠνάγκασε μιᾷ πόλει ταύτῃ χρῆσθαι. Utrisque enim uerbis reseruari uidentur iura quaedam ciuium eorum qui in alterorum ciuitatem concedunt. Atque cum illic in uniuersum dicantur sua quique retinuisse qui in ciuitatem Atheniensium recepti sint, hic cauetur, ne de sacris, urbe, agris, portubus aliisue rebus quae Medeoniorum sint, Stiriis quidquam arbitrario statuendi potestas sit neue inuicem: exempli gratia ne iura familiarum, si quae erant in sacris, populi scito tollantur; ne sedibus relictis Stirin transmigrare Medeonii cogantur; ne agri publicentur neue ager publicus ueneat; ne uectigalia in portu Medeonio instituantur quibus commercia in portum Stiriorum transferantur. Coniunguntur igitur ciuitates quidem, sed cauetur, ne altera in alterius dicionem perueniat, uelut Corinthios sympolitia facta in Argiuorum potestatem quodammodo redactos esse significat Xenophon (H. G. IV 4, 6): *καὶ πολιτείας μὲν ἀναγκαζόμενοι τῆς ἐν Ἄργει μετέχειν, ἧς οὐδὲν ἐδέοντο, ἐν δὲ τῇ πόλει μετοίκων ἔλαττον δυνάμενοι.* Cum enim non pacto ultro inito sed ui coacti Corinthii in Argiuorum ciuitatem recepti sint, iniquis condicionibus hoc factum esse consentaneum est. (Cf. Diod. XIV 92, 1.)

Neque mirum est illam rem in uniuersum sanciri, antequam pacti condiciones singulae constituantur. Nam itidem ut sympolitiae nomen, quod in ipso capite ponitur, totius pacti hoc est fundamentum. Neque repugnare huic interpretationi censeas quae statuuntur in v. 44 sq., ut a ciuitate coniuncta administrentur sacra Medeonia. Nam et § 7 uetantur Stirii contra legem publicam de illis sacris quidquam facere, et § 3 sacrificia publica imminuere. Item v. 48 sqq. ager quidem Medeoniorum Stirius fit, aeque ac Stiriorum ager Medeonius. Memineris autem etiam Pereensem agrum publicum communis iuris factum esse, neque tamen Melitaeensibus ideo permissum esse quidquid uellent de eo decernere. (Quodsi quis dicat arbitrio, non pacto sympolitico hoc statui, ei respondendum sit arbitrorum esse quid sit iuris diiudicare, non iura condere.) Immo formula ipsa qua inuicem ciuitates agros inter se communicant, argumento est, non tam ciuitatibus ipsis, quam

singulis utriusque ciuitatis ciuibus hac lege iura quaedam adtribui, scilicet praecipue ius ubicumque uelint communis territorii fundos acquirendi, tum immunitatem rerum ex altero in alterum territorium exportatarum et importatarum, deinde ius pascui [1]. Quae iura cum Medeoniis etiam ipso ciuitatis iure adtributa sint, praedicatur, ut etiam Stiriis eadem essent in agro Medeoniorum.

Quod ad cetera adtinet quae cum Medeoniis a Stiriis communicantur, ea omnia continentur formula qua in ciuitatem recipiuntur: *εἶμεν τοὺς Μεδεωνίους πάντας Στιρίους ἴσους καὶ ὁμοίους.* In quibus nominatim ius suffragii eis adtribuitur (v. 13—15), itidemque ius honorum.

Praeterea Medeoniis reseruantur duo iura, quorum alterum ad phratriam Medeoniorum ipsam pertinet, alterum ad singulos ciues. Atque de hoc iam supra uerba feci, cum similis res etiam in Teiorum et Lebediorum synoecismo occurrat (p. 37). Cauetur enim, ne ei qui magistratum uel sacerdotium Medeone gesserint, ullo magistratu Stiriensi fungi cogantur. Quod cum de Stiriis non statuatur, intellegendum est, catalogos e quibus munera Stiriorum distribuebantur, sympolitia facta sublatos non esse, praeterquam quod ei Medeonii qui muneribus functi non erant, in eis inscriberentur.

Grauissima autem omnium rerum quotquot in hoc pacto occurrunt, ex qua potissimum quid intersit inter synoecismum et sympolitiam efficias, illa est a synoecismo alienissima, qua phratriae Medeoniorum in gerenda re publica Stiriorum sua adtribuitur pars. Quamquam enim praefectos suos, sua comitia, aerarium suum etiam tribus ciuitatium Graecarum habuisse uidimus, nullus tamen his erat locus in rebus publicis gerendis. Contra Medeoniis conceditur, ut e sua phratria eligatur magistratus quidam qui una cum archontibus Stiriorum et causas eas quae ad iudicia non deferuntur, diiudicet, et iudices una cum eisdem sortiatur.

Iudicia igitur sua Medeoniorum phratria non habuisse uidetur.

Memoria autem dignum est, hunc magistratum Medeonium

---

[1] De *ἐπινομία* cf Boeckh ad CIG 1569. ib. 1335. 1771 sqq.

cui iurisdictio una cum Stiriis magistratibus administranda tribuitur, appellari quaestorem sacrorum (ἱεροταμίαν). Quo nimirum nomine significatur ad aerarium sacrum Medeoniorum curandum imprimis eum institutum esse. In rebus sacris enim quam maxima iura reseruari ciuitati quae in alteram ciuitatem concederet, moris Graecis fuisse significaui. Tenuerunt igitur hic quasi mediam uiam inter rationem rei publicae seruandam (secundum quam phratriae non proprium est magistratus habere quorum potestas ad res publicas pertineat), et seruanda iura ciuitatis quae suae libertatis parte ultro se abdicat. Nam magistratus quidem Medeonii quorum potestas ad rem publicam praecipue pertinebat, abolentur, ea autem pars quae rerum publicarum gerendarum phratriae Medeoniorum concedenda uidetur, sacrorum quaestori adtribuitur. Qui inde a tempore sympolitiae initae e Medeoniis quidem sed omnium Stiriorum suffragiis eligetur.

In eundem transferuntur officia ea summorum magistratuum Medeoniorum ad sacra pertinentia quae neque abolentur, neque magistratibus Stiriis adtribuuntur. Summa enim sacrorum Medeoniorum administratio transfertur quidem a magistratibus Medeoniis ad Stirios, ita tamen ut lege publica teneantur (v. 46), et ut in aerario curando et sacrificiis publicis faciendis quaestori sacrorum Medeonio praecipuus locus reseruetur. Quapropter is sacrificiorum publicorum portionem non solum eam quae antea ad eum pertinebat, sed etiam eam quae archontum erat, inde ab illo tempore accipiet.

Utriusque autem ciuitatis ciues participes fiunt sacrificiorum ab utraque publice faciendorum.

Phratria Medeoniorum nimirum suas res quae non ad rem publicam ipsam pertinent, suis comitiis et per suos magistros gerit. Hi autem qui fuerint praeter quaestorem sacrorum, hoc pacto non docemur. Qui quidem ante sympolitiam initam Medeone fuerint magistratus, e uersibus 38 sq. apparet. Eorum πρακτῆρας, ἱερεῖς, ἱεράρχας mansisse conicias. Iurisdictionem phratriae magistros non habuisse, ex eis quae supra exposui intellegitur.

Suum aerarium quin Medeonii habuerint, nemo dubitabit.

Hoc autem, cum iam redituum publicorum pars ad Stiriorum ciuitatem pertineret, ad administrationis sumptus comparandos non sufficiebat. Quapropter pacti additamento constituitur (§ 13), ut certum quoddam subsidium eis a Stiriis detur, quale etiam Pereenses a Melitaeensibus accepisse memineris. Cum autem illis quotannis certa quaedam summa soluatur, hic semel, scilicet intra quattuor annos a pacto inito, quinque minae argenteae et ager quidam publicus Medeoniis datur, scilicet phratriae nomine locandus. Atque quantum ex hoc agro quotannis Medeoniis redierit, quod nescimus dolendum est. Ceterum argenti summa, scilicet fere M. 540, pro sorte satis exigua est, si respicias Pereenses, praeterquam quod extraordinarios sumptus eorum Melitaeenses curare iubeantur, quotannis accepisse M. 385. Quare ad certam quandam rem potius procurandam has quinque minas solutas esse coniciam, quam sortis loco cuius usuris phratria frueretur.

Denique moneam, quod § 10 statuitur, ne alteri utri ciuitati liceat ab altera secedere, multa imposita eis per quos haec lex uiolata sit, hoc in ceteris pactis non occurrere, neque inter Melitaeenses et Pereenses tale quidquam pactum uideri, cum arbitri statuant, ut Pereensibus liceat, si uelint, ciuitatem a Melitaeensibus separare.

INDEX.

concilianda sint (p. 68—74). Rerum gestarum ordo constituitur (p. 75—80). — Quam Seleucidae reges in tractandis ciuitatibus Graecis rationem secuti sint p. 80–82. De libertate ciuitatibus concessa (p. 81). De regum consecrationibus. De iure asyli (p. 82). (De Venere Stratonicide in Smyrnaeorum nummis efficta p. 82 sq. adn.) — De *κατοίκοις* p. 83—90. *Κατοίκους* esse colonos militares (p. 83—86). De Macedonum coloniis militaribus (p. 86 sq.). De Magnetibus (p. 87). De Palaemagnetibus (p. 88—90). — De priore Smyrnaeorum populi scito p. 90—92. De singulis Smyrnaeorum et Magnetum sympolitiae condicionibus p. 92–99. (De *στεφανηφόροις* p. 92 sqq. adn.; de *ἐξετασταῖς* p. 96 sq. adn.) De eisdem in uniuersum p. 99—101. Quousque haec sympolitia permanserit p. 101. De ciuitate Palaemagnetibus data p. 102 sq.

III. Aetolorum arbitrium de Melitaeensium et Pereensium lite factum sympolitia inter se coniunctorum p. 104 sq.

De ciuitatibus quibusdam ethnicarum sympolitiarum participibus quae simul artius inter se coniunctae fuerint p. 105—107. De Meliteae nomine et situ p. 107–109. De Pereensibus. Num Homerus Periam commemorauerit p. 109 sq. De tituli aetate. Quo tempore Achaei Phthiotes Aetolorum sympolitae participes fuerint p. 110 sq. De causa litis p. 111. — De singulis arbitrii partibus p. 112—127: § 1. De praescripto (p. 112 sq.). § 2. De Melitaeensium et Pereensium confinio (p. 113 sq.). § 3. De Pereensium agro publico (p. 114—116). § 4. Quae iura et officia Pereensibus attribuenda sint, si a Melitaeensibus secesserint (p. 116). De Aetolorum senatu (p. 116—119). De Aetolorum tributis atque de ciuitatibus Aetolorum quas subditicias fuisse quidam contenderunt (p. 119—121). § 5. De aere alieno Melitaeensium et Pereensium (p. 122). § 6. De pecuniis quibusdam e communi aerario Pereensibus solutis (p. 122—125). § 7. 8. De legibus et iurisdictione (p. 125). § 9. De arbitrio rato faciendo. De senatus Aetolorum praesidibus, de scribis, de testibus (p. 125–127). De Melitaeensium et Pereensium sympolitia p. 127 sq.

IV. Stiriorum et Medeoniorum pactum sympoliticum p. 129 sq.

De tituli aetate atque de Phocensium sympolitia p. 130—134. De Stiriorum sympolitiae ineundae causa p. 134. Verborum interpretatio p. 134 sq. De ciuitatis iure Medeoniis dato p. 135. De legum communione. De rebus externis moderandis p. 136. De phratriae Medeoniorum libertate p. 136 sq. De agris inter ciuitates communicandis p. 137. Quae iura cum Medeoniis communicata uel eisdem reseruata sint p. 138. De quaestore sacrorum p. 138 sq. De phratriae Medeoniorum administratione p. 139. De subsidio Medeoniis soluendo p. 140. De interdicta secessione p. 140.

Corrigenda:

P. 14 l. 14 pro *χερσόννησον* lege *χερσόνησον*.

UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA
3 0112 060747554